4010/4.

13. VI. 3. 10. – 13. II. 3. 39.

5/V-39 r. Fue

1 rabyg

FLORA SIBIRICA

SIVE

HISTORIA PLANTARVM SIBIRIAE

TOMVS III.

CONTINET

TABVLAS AERI INCISAS LXVII.

AVCTORE

D. IOANNE GEORGIO GMELIN,

Editore

D. SAMVEL GOTTLIEB GMELIN.

PETROPOLI

EX TYPOGRAPHIA ACADEMIAE SCIENTIARVM

MDCCLXVIII.

1768 г

БИБЛИОТЕКА ДЛЯ КНИГ ТГУ

В-5425

ПОГАШЕНО
Пос. Центральная Библиотека

PRAEFATIO EDITORIS.

Difficile negotium esse et plenum molestiae, postumos Auctorum foetus ita in lucem emittere, vt nihil desideretur, quod ad propositum facit; id illi ratum atque perspectum habent, qui eiusmodi laboribus manum semel admouerunt. Et vitio credo, mihi nemo vertet, si publice fateor, magnas et me in tertio Florae huius edendo Tomo sensisse difficultates, quin quod subinde maximas. Iis tamen praeualuit officium, quo fungor, et iusta in Patruum pietas. Laetusque in fine operis nunc constitutus peractos labores sentio iucundos. Accipe autem, erudite Lector, quae habeo, monenda.

Tertio Florae Sibiricae Tomo destinatae a B. Auctore tres classes erant, *incompletae*, *fructiflorae* et *calyciflorae*, hasque iam Ipse, dum vixerat, penitus fere elaborauit, elaboratasque ante hos nouendecim annos Tubinga Academiae nostrae misit, quae tunc temporis aliis occupationibus distenta differre impressionem cogebatur, et Patruo fatis praematura morte cedente, cum nemo esset, qui illam vrgeret, Viris celeberrimis HEBENSTREITIO et KOELREVTERO, peregre hinc insuper abeuntibus, factum fuit, vt tertius hic Tomus tenebris iacuerit sepultus, vsque dum mihi, fato sic volente, Petropolin vocato, anno elapso tradebatur. Lectum relectumque talem inueni, qui publica luce dignus esset, modo necessaria fieret paucis in locis correctio, addereturque recentior synonymia. Quod vtrumque in me suscepi, ita, vt ne ver-

verbulum quidem in ſcriptis Patrui mutauerim vnquam, ea autem, quae addere volui, quaeque e publico Academiae theſauro herbario, in quo induſtria STELLERIANA emicat, immiſcenda habui, ſigno ( ) proponere viſum erat, vt diſtinguantur. Plantis Sibiricis ſemel intentus, ita me in illas immerſi totus, vt dum tres illas iam memoratas reuidi claſſes, hacque occaſione ſingulos codices peruolui, omnis ſenſim ſenſimque Flora quoad momenta ſumma ita a me elaborata ſit, vt potuerim huic adhuc addere Tomo ringentes, ſiliquoſasque et adpendicis loco columniferas, in quibus Sibiria valde paupercula eſt. Has ergo plantas his ſub poſterioribus ordinibus comprehenſas et ſecundum viua, quae hortus alit, et ſecundum ſicca crebro examinaui ſpecimina, conſulendo Patrui codices manu ſcriptos, Indices, Lenenſem, Ircutien-

ſem, Ieniſeenſem, Transbaicalenſem, et obſeruationes in hiſtoriam naturalem miſcellaneas. Non recenſui, niſi quae Sibiriae propriae ſunt, plantas, omiſſis Chinenſibus, vt Lophantho et Hyoſcyamo aureo, omiſſis ſatiuis omnibus. Non deſcripſi, niſi ad normam Patrui, quamvis ſaepe illibenter, ne in opera fiat diſſimilitudo. Addidi quoque eadem de cauſa, curtas illas definitiones ſpecificas, quas ceteroquin non amo. In omnibus ſatisfeci mihi, ſed tantum doleo, quod parciores iuſto adlegare ſciverim oeconomicos ſalutaresque plantarum vſus; id enim nunc extra poteſtatem erat, cum non inuenerim niſi memoratos. Dabam Petropoli Menſ. Apr. MDCCLXVIII.

FLORAE

FLORAE SIBIRICAE
CLASSIS IX.
INCOMPLETAE.

I.

HIPPVRIS LINN. *Lapp.* 1. *h. Cliff* 3. *Sp. pl.* 1. *pag.* 6. *n.* 1. ROY. *pr.* 205.
Polygonum foemina semine vidua LOB. *ic. p.* 792.
Equisetum palustre breuioribus foliis polyspermon C. B. *Th. p.* 242.
Equisetum palustre linariae scopariae folio C. B. *pr.* 24.
Equiseti facie polygonum foemina I. B. *III.* 732.
Pinastella surrectior RVPP. 275.

Lim-

Limnopevce vulgaris, VAILL. *act.* 1719. *p.* 14.

1. *Eadem ramosa.*

Vna cum varietate sua in omni *Sibiria* in *Kamtschatkam* vsque nascitur. In varietate perquam frequente secundum caulium longitudinem rami vnciales, biunciales at triunciales exeunt, foliis iisque insidentibus seminibus, caulis instar, vestiti.

Ad ostium *Lenae* fluuii, obseruante STELLERO, integras insulas occupat, propterea anseres feri, quibus escam praestat, laqueis ingenti copia ibi capiuntur.

2. *SALICORNIA* herbacea LINN. *act. Stockh.* 1741. *p.* 180. *Suec.* 1.

Salicornia patula articulis apice compressis emarginato bifidis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 5. n. 1.

Salicornia DOD. *pempt.* 82. LINN. *h. Cliff.* 490.

Kali geniculatum maius annuum B. *pin.* 289.

Salicornia geniculata annua TOVRN. I. R. H. *cor.* 51.

j Salicornia ramosa rubra STELL. *Ire.n.* 1144.

jj Eadem fruticosa. Tab. I. fig. 1.

In omni *Sibiria* ad lacus salsos et in regione salinarum, ad montem salsum etiam, in *Kaptendei* ripa exstantem, vt et in locis, salis adspergine conspicuis, rarius tamen in his, vna cum varietate sua frequens est.

Fruticosa tamen rarior est, quam herbacea. Vtramque etiam D. LERCHE *Astrachania* ad me misit.

Herba-

Herbacea varietas nullus dubito, quin ſit primi et ſecundi anni planta, tunc ſimplici caule eſt, aut parum ramoſo, vtprimum autem in plures ramos diſpertitur, ſubſtantiam ſimul mutat, et fruticoſior euadit. Radix tenuis rigida fibra conſtat, ad quam decem circiter, paulo tenuiores, ſed quaedam longiores, fibrae pinnatim quaſi affiguntur. Caulis durus lignoſus, per duas circiter a radice vncias nudus, pennae columbinae craſſitie, in multos tum ramos in latum expanditur, quorum faſtigia fere coincidunt.

Secundum totam ramorum longitudinem clauae vnciales aut breuiores, pediculis ſemiuncialibus et multo minoribus appenduntur, plerumque ex aduerſo binae, ſolemni ſtructura gaudentes, interdum loco clavarum ramuli e ramis prodeunt, vno et altero minorum clauarum pari onuſti. Varius clauarum ſtatus eſt, pro ratione temporis, in quo obſeruantur. Sub medium Iulii plerumque vidi perquam nodoſas aut veluti ſquamoſas, quale exemplum icon ſiſtit, tempore autumni vero tetragonis cauernulis excauatas. Et in priori quidem caſu puto, emiſſionem florum inſtare, in poſteriori ſemina iam delapſa eſſe. Fateor nihil certi mihi de vera ſtructura conſtare. Nec negare poſſum, ſaepius me dubitaſſe, an haec fruticoſa ſpecies ab herbacea vere differat. Nunquam enim memini, me fruticoſam ante Iulium vidiſſe, deinde radix illius fruticoſae fere nimium tenuis eſſe videtur, quam vt pro radice plurium annorum putari poſſit. Sed vidi etiam priorem ſpeciem ſub forma herbacea florum feracem, vt vix pro planta tenella adhuc habere po-

tuerim. Sed haec enodari non poterunt, donec in horto per plures annos cultam ſalicorniam ſedulo et continua ſere ſerie contempleris. Caeterum color huius fruticoſae prioris ſpeciei inſtar viridis aut ruber eſt. Interdum etiam caulis ruber eſt, et ramuli flaueſcunt. Nodi autem, in quos ante florum emiſſionem intumeſcit, viridi colore plerumque gaudent, vt illo tempore aſpectu iucundiſſima planta ſit, quam etiam tabula fig. 1. ſiſtit, quia non memini, me huius aetatis plantam delineatione adumbratam antehac vidiſſe. DOD. Icon et quae ex illo mutuo ſumta eſt, LOBELII, videtur ad fruticoſam plantam facta eſſe.

Ex varietate herbacea equos mirum in modum pingueſcere, et Baſchcirorum et Ruſſorum in *Iſetenſi* prouincia conſtans traditio eſt.

3. *CORISPERMVM foliis alternis* LIN. *h. Cliff.* 3. ROY. *pr.* 205.

Coryſpermum D. IVSSIEV *act. Par.* 1712. *p.* 244. — 246.

Coriſpermum floribus lateralibus, LIN. VPS. 2. *n.* 1. *Sp. pl.* 1. *p.* 6. *n.* 1.

Rhagroſtis ſemine paſtinacae BVXB. *Cent. III. p.* 30. *Tab. LV.*

Coryſpermum glabrum maius longiſſimis foliis AMM. *Ruth.* 225.

Atriplex ramoſa, hyſſopi foliis craſſiuſculis in ſpicam ſquarroſam congeſtis, ſemine ad foliorum vnguiculos nudo, ouato, plano, maiore MESS. AMM. *Ruth.* 231.

Rhagro-

Rhagroſtis foliis arundinaceis BVXB. *Cent. III. p.* 30. *Tab. LVI.*

j. Idem caulibus rubris.

jj. Idem ſpicis ouatis.

Coriſpermum ſpicis ſquarroſis LINN. *h. Vpſ. p.* 3. n. 2. *Sp. pl.* 1. *p.* 6. *n.* 2. AMM. *Ruth. ſpec.* 2*da p.* 159.

Viridis varietas ſpicas profert laxas et longas, et ſquamae ſpicarum nonniſi in margine albae ſunt, caulis eius pedalis eſt et amplior, admodum ramoſus. Altera varietas humilior eſt, et magis procumbens, tota, aut ſaltem plurimam partem rubra, ſpicis habilioribus et breuioribus, et fere ouatis. Tertia videtur eſſe varietas humilior, inter palmum et dodrantem altitudine varians, caules graciles proferens et ſpicas lanuginoſiores, quam prima varietas, folia quoque plerumque longiora ſunt. Sed nihil adhuc deprehendi, quod certas notas diſcriminis inter haſce varietates exhiberet, non color, quia etiam ſecunda et tertia varietas interdum rubrae comparent, ſaepe etiam in tenellis plantis earum varietatum caules inferius e violaceo rubentes vidi, id quod etiam VAILLANTIVS de ſuo coriſpermo memorauit In genere certum eſt, herbas huius ſpeciei raro occurrere totas rubras, niſi autumno, ergo aetas aut rigor tempeſtatis praecipua huius varietatis cauſa eſſe videtur. Sed nec hirſuties aut glabrities foliorum ſpeciem variant, quae pro ratione ſoli, in quo planta naſcitur, magis aut minus hirſuta ſunt, quin hirſuta folia cum aetate plantae pilos plurimam partem amittunt. Sic etiam longitudo foliorum nullum

discrimen in specie facit. Dantur plantae in Sibiria nascentes, quarum folia non longiora sunt, quam folia plantae occidentalis Galliae, vti ipse b. AMMANVS confessus est, et vti etiam permultis exemplis conuicti sumus, sed pinguior paulo humus, qualis in Sibiria non infrequens est, etiam longiora profert, quid quod e gallico semine enatum corispermum in horto Academico vidimus, cuius folia longitudine non inferiora erant vel longissimis, quae sibiricae plantae protulerant. Nec forma spicarum solidum discriminis fundamentum praebet, docente cultura, qua patet, ex eodem semine spicas longas in planta erecta, et ouatas in procumbente enasci. Deficiente scilicet nutrimento aquoso compertum est, hanc varietatem accidere.

In structura partium, ad florum et fructuum formationem spectantium, nihil in planta silueſtri inveni, quod contrarium esset descriptioni cel. IVSSIEVII. In seminibus maiusculis in basi plerumque leuis sinus exsculptus est, quod in eius descriptione haud annotatum inuenio. Quod vero ad stamina spectat, nunquam vno plura vidi, vti pariter habet IVSSIEV. A Cel. HALLERO per litteras habeo, hortensem plantam vno, duobus et tribus staminibus variare. Quartum Cel. LINNAEVS in horto Vpsaliensi addit, concinna admodum ratione, vt scilicet infimus flos stamina quatuor, secundus tria, tertius duo, reliqui vnicum stamen habeant. *Rhagrostidem foliis arundinaceis* BVXB. *Cent. III.* p. 30. Tab. LVI. cum LINNAEO synonymam facio varietati 2dae. Licet enim BVXBAVMIVS, semina faciat cornuta, et hanc praecipuam differen-

ferentiam ſtatuat, nihil vero hoc ad differentiam facit, vtraque enim varietas ſtilos duos ſuperſtites habet, quos in altera varietate cornuum nomine inſigniuit, in altera autem non vidit; ſaepe enim detriti ſunt aut delapſi in vetuſtis plantis. Denique a Cel. LERCHE vtriusque varietatis plantas ad *Wolgam* lectas obtineo, ex quibus mihi quidem patet, ſemina vtriusque nonniſi magnitudine paullulum differre.

In omni *Sibiria* frequens eſt.

4. *CALLITRICHE* foliis oppoſitis, oblongis, fructibus integris.

Stellaria aquatica, LOB. *ic. p.* 792.

Alſine aquis innatans foliis longiusculis, I. B. III. 786.

Coriſpermum foliis oppoſitis, LINN. *Lapp.* 2. *h. Cliff.* 3.

Coriſpermum foliis ſuperioribus oualibus, floribus androgynis, LINN. *flor. Suec.* 3. *EI. Sp. pl.* 1. p. 6. n. 1.

Stellaria foliis ad caulem anguſtis, in ſummitate ſubrotundis, HALL. *Helv. p.* 198.

Ad amnes, *Ieniſeam* influentes, vt et hinc occidentem verſus ad *Iaicum* vsque abunde naſcitur.

5. *CALLITRICHE* foliis oppoſitis, oblongis, fructibus quadrifariam dehiſcentibus. Tab. I. fig. 2.

Lenticula paluſtris anguſtifolia, folio in apice biſecto, LOES. *Pruſſ. p.* 140. ic. 38.

Stellaria aquatica foliis longis tenuiſſimis, RAY. *ſyn. III. p.* 290

Stellaria foliis omnibus angustis, apice resecto, HALL. *Helu.* 198. LINN. *Suec. p.* 2. β. *Callitriche foliis omnibus linearibus apice bifidis floribus hermaphroditis*, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 6. *n.* 2.

Plantae non satis cognitae, quoad mihi patuit, descriptionem facio. Ex radiculis longis tenuissimis, cauliculi surgunt ramosi, palmares et semipedales, totius instar plantae admodum nitentes, quibus folia appenduntur ex aduerso bina, vix vnciam longa, quaedam etiam multo breuiora, apice magis aut minus bifida, ad margines plerumque integra, quaedam passim leuiter crenata, lanceolata, sessilia, in summitate aliquantulum congesta. Dissitorum foliorum singulorum alis singuli innascuntur fructus, ex quatuor seminibus compressis, maiusculis, parte, qua se mutuo tangunt, rectis, dorso arcuatis, conflati, in quatuor semina leui attactu dilabentes. Masculi flosculi ex alis foliorum congestorum prodeunt, quos autem non amplius ita obseruare licuit, vt structuram exponere sustineam.

In sinu quodam Manae fluuii in Ieniseam labentis d. XIV. Aug. copiosissimum erat.

In icone pictor foliorum apicem bifidum et crenas ad marginem non expressit, quia acie acuta oculorum ad haec dignoscenda opus est. In LOESELII autem libro nimis distincte apices delineantur.

6. *CERATOCARPVS* LINN. *diss. resp.* DASSOW 28. *n.* 1069. *h. Vps. p.* 281. n. 1. *eiusdem Sp. pl.* 2. p. 1375. BVXB. *comm. petrop. Tom. I.* p. 244. *Tab. IX.*

Flores

Flores ſecundum meam obſeruationem aut in diuaricationibus ramorum aut in foliorum alis, aut feminae ſolae aut maſculi ſoli, aut vtriusque generis ſimul naſcuntur. Semper tamen vterque ſexus in eadem planta obtinet. Diuaricationes ramorum maſculis magis locum concedunt, quam feminis. Feminae plerumque ſolitariae ſunt, maſculi ſaepiſſime duo, pedunculis inſidentes, nonnunquam tres ſimul. Petalum aut vnicum numerari poteſt in floribus maſculis aut duo, vix enim cohaerent in baſi, ſpathulae forma, intus alba, extra viridi, lanuginoſa, diaphana. Stili in valde iuuene tantum germine conſpicui ſunt, ſub capſulae enim incrementum in ea abſconduntur. Germinis femellarum theca cum foliolis calicinis ita concreta eſt, vt thecam biroſtrem, triangulam, apici inſiſtentem, vtrinque ſecundum longitudinem carinatam referat, in cuius apice germen deliteſcit.

Ceterum deſcriptioni BVXBAVMIANAE addendum eſt, caules eſſe lanuginoſos, albidos, foliaque alterna, ſature viridia, linearia, acuta, vncialia et maiora, pilis longiusculis hirſuta, et a lanugine passim cinerea, et germen intra pilos candidos abſcondi.

In campis vaſtis *Ononienſibus*, inprimis circa lacus ſalſos, copioſe naſcitur, vbi ſaepe eius cumuli, pedem facile alti et pedem in baſi lati, magno numero occurrunt, quod ad figuram ſpectat, ſimetis ſimiles, quos in commeatum hiemalem ſibi exſtruunt incolae ibidem frequentiſſimi, cuniculi pumiliones ſalientes, qui hoc artificium vix ab hominibus, eam regionem incolentibus, didicerunt, quibus ſenificiae

nullo

nullo in vſu ſunt, pecori, copioſiſſimo certe, curam nutrimenti relinquentes. Ad *Iaicum* etiam et ad *Wolgam*, *Samaram* et *Tanaim* fluuios abunde prouenit.

7. *EMPETRVM* procumbens, LINN. *h. Cliff.* 470. *Lapp.* 379. *Suec.* 832. *Sp. pl.* 2. p. 1450. n. 2. ROY *pr.* 206.

Erica baccifera MATTHIOLI, LOB. *obſ.* 621. I. B. I. 526.

Erica baccifera procumbens nigra, C. B. P. 486. *b.*

Empetrum montanum fructu nigro, TOVRN. I. R. H. 579.

Vbique in paluſtribus naſcitur. Ruſſis Tobolenſibus ad *Ieniſeam* vsque водяница, vlterius in *Sibiria* ad *Ochotenſe* vsque mare et in *Kamtſchatkam* vsque dicitur, шикша, et licet baccae aquoſi atque fatui ſint ſaporis, ab idolorum cultricibus tamen vt et ruthenis gentibus pro obſonio non infimae notae habentur.

8. *ASARVM* foliis ſubcordatis petiolatis, LINN. *h. Cliff.* 178. *Suec.* 392. ROY. *pr.* 207.

Aſarum foliis reniformibus obtuſis binis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 633. n 1.

Aſarum, B. *pin.* 197. DOD. *pempt.* 358.

Aſarum, *Baccaris* ſ. *Baccatus*, LOB. *ic. p.* 601.

In *Ieſetenſi* prouincia, vulgatiſſima per omnem Ruſſiam planta paſſim prouenit, *Irtim* tamen fluuium vix aſſequitur, nec in magis orientalibus *Sibiriae* regionibus amplius cernitur.

9. *BLITVM* capitellis ſparſis lateralibus, LINN. *Vpſ.* 3. *n.* 2. *EI. Sp. pl.* 1. p. 7. n. 2.

Atriplex

Atriplex ſylueſtris baccifera, CLVS. H. CXXXV.
Atriplex ſylueſtris mori fructu, B. pin. 119.
Atriplex mori fructu minor ſ. frugifera minor MOR. H. 2. *p.* 606. *ſ.* 5. *t.* 32. *fig.* 2.
Blitum foliis triangularibus dentatis, calicibus baccatis, capitulis ſummis folioſis, LINN. *h. Cliff.* 495.
Chenopodio morus foliis argute dentatis, HALL. *Gott.* 6.

Iſetenſis prouincia *a Iaico* ad *Irtim* vsque fluvium hanc plantam magna copia gignit, nec vero vltra in magis orientales plagas eam extendi obſervaui. Inſignis eſt, quod foliorum formam ſpectat, differentia. Caules altiores plerumque, durioresque ſunt, folia craſſiuscula, interdum triangula, dentata, interdum ex ſinuato dentata, interdum, quod ad ſumma praecipue attinet, omnino integra, altitudinem tamen vix duos dodrantes ſuperare animaduerti, nihilominus AMMANNIANAM plantam pro eadem habeo, cuius altitudo culturae adſcribenda venit.

Multo minor etiam occurrit, quam indicaui, nec ſemper erecta eſt, ſed ſaepe procumbens, haecque multa folia lanceolata, nihil omnino dentata profert, ſerius etiam ſemina maturat.

Hac ratione plantae humili in loco naſci ſolent, vbi aquae ex inundatione aut pluuiis longe in aeſtatem vsque ſteterunt, vnde forte varietatis ratio petenda eſt.

10. *AXYRIS* fruticoſa, floribus femineis lanatis Tab. II. Fig. 1.

Frutex halimi facie, BVRS. *Herb. Vol.* 22. LINN. *in litt.*

Blitum arboreſcens, incanum, Lauendulae folio, STELL *Irc.* 767.

Camphorata ſpecies alia hirſuta et lanuginoſa ID. *l. c.* 1150.

Axyris foliis lanceolatis tomentoſis, floribus femininis lanatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1389. n. 2. cum ſynon.

Nos etiam in catalogis noſtris plantarum ſibiricarum ſemper aliquam cum Blito ſimilitudinem ſuſpicati Blitoidis nomine inſigniuimus. Alias porro ſpecies diſtinctas eiusdem generis obſeruauimus, et iam, ex quo ex itinere reuerſi ſumus, quouis modo in ſtructuram partium, ad florum et fructuum formationem ſpectantium, diligenter inquiſiuimus, ſed quod candide fatemur, nihil diſtincti, oculis licet armatis vtentes, elicuimus, vt de charactere generico certi quid proferre nondum liceat. B. STELLERVS, qui fruticoſam ſpeciem ſolam vidit, nihil quidquam ſeminum detexit, tria tantum ſtamina in ſingulis floribus ſibi vidiſſe viſus eſt, dubitat autem, annon imaginatione tantum eiusmodi illi ſors contigerit. Miſimus etiam ſemina ad lynceum LINNAEVM, vt plantas in horto ſuo educaret, et generis characterem definiret, qui pro amicitia ſua et pro ſtudio ineffabili, botanicem iuuandi, in Axyride herbacea floribus capitatis, infra deſcribenda, characterem ſe inueniſſe credit, et nobiscum communicauit, quem orbi botanico inuidere neſas eſſet. Si alicubi aliter a nobis obſeruatum eſt,

apud

apud ſingulas herbas, quae mox deſcribentur, annotabimus, non eo fine, vt illuſtrem et ab omni orbe comprobatum obſeruatorem corrigamus, qui de eius obſeruationibus meliorem ſpem, quam de noſtris concipimus, ſed vt botanophilos inuitemus, in ſtructuram generis vlterius inquirendi, et veritatem obſeruationum ſuis calculis comprobandi.

Nomen genericum ipſe clar. LINNAEVS compoſuit ex α priuatiuo et ξυρὸς acutus, forte, quia plantae huius generis, fruticoſae etiam, non pungunt, et ramorum extremitates obtuſae ſunt, non acutae.

Axyris Auctore Cl. LINNAEO monoecia planta eſt, flores maſculos in amenta digeſtos, femineos flores ſeſſiles gerens. Calix maſculis eſt perianthium triphyllum, patens, obtuſum, filamentis tribus, linearibus, patentibus, inſtructum, quibus totidem antherae ſubrotundae reſpondent. Feminei flores calice inſtruuntur diphyllo, concauo, obtuſo, germine ſubrotundo, ſtilis duobus capillaribus, et ſtigmatibus acutis, calix clauditur et ſemen vnicum ſubrotundum fouet.

Linaria ſcoparia ſ. Belleuedere huius generis eſſe videtur.

Radix Axyridi fruticoſae eſt longa, et ſex et decem pollices, et quatuor quinqueue craſſa, lignoſa, cinerea, ſcabra, ſaepe propaginibus ſupra terram ſerpentibus aucta, aut ramos modo vnum, modo duos et plures, ſaepe vnciam craſſitie ſuperantes, teretes, duros, extra ſpadiceos, intus buxeos, in terram ad integrum pedem demittens, ex qua virgae viginti et

triginta ſurgunt, olorini admodum calami craſſitie ſed et ſaepe vix columbinum aequante, lignoſae, cortice glabro, luteſcente veſtitae, infra gemmis veluti nodoſae, in quarum plerisque foliorum rudimenta inſident, cubitales, dodrantales aut altiores, humilior etiam, quaedam erectae, aliae ſupra terram ſparſae, ſimplices aliae, aliae ramoſae, ſummitatem verſus albidae, quaſi farina aſperſae eſſent, nonnunquam etiam amoene rubentes, quae in tertia circiter altitudinis parte foliis ſatis crebris veſtiri incipiunt, craſſiusculis, vncia aliquanto latioribus, et pro ratione breuioribus, Lauendulae vel betae folia referentibus, non venoſis, ſed infra tantum neruo eminente praeditis, ibidemque cinereis aut albicantibus, ſupra viridioribus, ab autumnali tempeſtate rubente et luteo variis, in quorum alis glomeres longorum, in humilioribus plantis etiam breuiorum, magis aut minus candidorum, pilorum eriguntur, inter quos tria perpetuo ſemina haerent exigua, aut maiuscula, ſubrotunda, aut ex rotundo acuminata, compreſſa, quorum tamen raro omnia ad maturitatem perueniunt. Singula autem ſemina duobus foliis, perquam hirſutis, in cornua veluti deſinentibus, vti deſcriptio generica LINNAEI inculcat, inuoluuntur. Haec eſt flosculorum femineorum diſpoſitio, de quibus itaque nihil niſi ſemen maturum obſeruare licuit. Extrema verſus, vt et per totam fere caulis longitudinem ex ipſo illo loco, cui feminei flosculi inſident, ſpiculae ſurgunt ſemiunciales et longiores etiam, e luteo palleſcentes, ſteriles, adeoque masculae, perquam tenues, anſerinae pennae admodum

craſſitie,

crassitie, de quarum structura nihil distincti mihi innotuit. In planta ramosa ramorum eadem ratio est.

In vastis siccisque lapidosis campis superioris *Ienisseae* atque in eum labentium fluuiorum regione, vt et ad *Angaram* et *Baicalem* vsque in campis praecipue *Vrinscinensibus* e regione rupis *Kladowaiae* et in arenosis locis circa *Baicalem* lacum copiosam sub finem Aug. mensis inuenimus STELLERVS et ego. Cel. D. LERCHE etiam ex Astrachania ad me transmisit.

Icon virgam huius fruticis ad viuum sistit.

II. *AXYRIS* erecta, herbacea, amentis masculis simplicibus Tab. II. fig. 2. et Tab. III.

Axyris foliis ouatis caule erecto, spicis simplicissimis. LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1389. *n.* 2.

Radix lignosa est, albens, tenuis, longis iisque paucis albicantibus fibris stipata. Caulis in planta silvestri pedem aut cubitum raro superans, in hortis ad altitudinem fere humanam assurgit, infra glaber est et rubens, supra lanugine pubescit. Folia mox ab exortu multa sunt, nullo ordine posita, pallide viridia, lanceolata, vtroque extremo acuta, in medio semiunciam lata, breuissima lanugine obsita, neruis oblique ad costam folii mediam excurrentibus obscure distincta, breuibusque petiolis suffulta. E singulis foliorum alis singulae prodeunt spicae, raro vncia longiores, quibus flores exiguorum globulorum forma alternatim, sed spisse adhaerent, constantes ex foliolis e luteo pallidissimis, inter villos albos breues emicantibus, et filamentis, apicibus pallide luteis, instructis. Spinae haetum longius succrescunt, et pars extrema tota fit pa-

leacea et exarescit, quae scilicet masculis floribus locum concesserat, inferior pars foliis vestitur minoribus multis, tanquam squamis, tribus plerumque simul eidem loco affixis, in quorum singulis semen latitat orbiculare depressum, lutei coloris, vtrinque foliolo cinctum, quae duo foliola calicem procul dubio constituunt. Infima spicae pars nuda est, et pedunculatam facit spicam. Sic quidem olim obseruaui. Sed in horto aliter res mihi se obtulit. Pedunculi plurimi singuli e singulis foliorum alis exibant, quo superiores, eo breuiores, subhirsuti, duas tertias nudi, spica breui foliosa terminati. In singulorum foliorum alis tres flosculorum contiguae series locabantur, quarum duae externae femellae singulae vtrinque breui foliolo tanquam calice cinctae, praeterea duobus foliolis extra munitae sunt, quorum singulis tres flosculi eiusdem generis insident, quorum calix duobus aut tribus foliolis conflatur. Stili duo sunt, perquam fragiles et breui euanescentes, corolla longiores, aliquanto hispidi. Stigmata simplicia, oblonga, saepe obliqua. Intermedia series foliolis tribus includitur hirsutis, oblongis, erectis, et flosculo constat masculo tristemone, antheris didymis instructo, et duabus femellis. Saepe etiam in alis foliorum duos aut tres tantum flosculos femineos, aut totidem masculos, separatim vidi. Nolui haec reticere, quia supra dictis passim aduersantur. Sed vestigia naturae lego, hinc quid sensus detegant, cordate indicandum est. Ego quidem ex hoc concludo, magnam esse difficultatem in genere determinando. Saltem hoc certum esse videtur, in hac

specie

ſpecie maſculos et femineos flores in eadem ſpica provenire.

Ab *Ienifea* fluuio ad *Lenam* vt et in *transbaicalenſem* vsque regionem nusquam non naſcitur. Amat areas hortorum et loca ruderata. Ex monte *Krasnagora*, quae iter ex Ruſſia in Sinas facientibus tranſitur, etiam allata eſt, ſed humilior et ramoſior, minoribusque foliis ſtipata.

Icones duae factae ſunt. Tab. III. totam plantam ſilueſtrem exprimit, *Ircutiae* in laetiſſimo ſolo natam. Tab. II. fig. 2. ſiſtit ramum plantae hortenſis. Vtraque icon ad viuum facta eſt.

12. *AXYRIS* herbacea, amentis masculis corymboſis, pedunculatis Tab. IV. fig. 1.

Blitoidis ſpecies altera ſerpilli foliis, STELL. *Hort. ſicc.*

Axyris foliis ouatis, caule erecto, ſpicis conglomeratis LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1390. *n.* 3.

Radix plerumque ſimplex eſt et tenuiſſima, alba. Caules palmares, ſemipedales et dodrantales, (in planta hortenſi facile bicubitales) rubentes et virides, pro ratione altitudinis tenues, ab imo ad ſummum hirſuti, prioris inſtar ſpeciei ramoſi, cui, excepto florum formationis modo, perquam ſimilis eſt. Folia enim ſimilia ſunt, niſi quod plerumque breuiora ſint et per ſaepe in ſpinulam inermem deſinant, venisque non adeo conſpicuis perfundantur, et a pilis adhaerentibus cinereum fere colorem induant.

Flo-

Flores masculi glomerati, corymbosi, pedunculati, caules et ramos terminant. Nec alae inferiorum foliorum iis destituuntur. Sed feminae in ipsis foliorum alis sub masculis semper sessiles sunt. Calix masculorum tribus constat glumis hirsutis, in quo stamina tria latent subulata cum apicibus didymis, puluere excusso tricuspidibus. Caue, ne pauciora numeres stamina, nam non vno eodemque tempore erumpunt. Calix feminarum tribus membranaceis albis glumis conflari videtur, stilum vnicum tantum vidi, cum stigmate plerumque simplicissimo; semel obliquum observaui et maiusculum. Semen obtuse triquetrum est, priori globosius sed minus.

In superiori *Ienisseae* fluuii regione inter fontes *Karyschi* fluuii et lacum *Igirem* sub initium septembris cum fructu maturo collegi. STELLERVS etiam ad *Baicalem* lacum obseruauit.

Icon partem plantae hortensis ad viuum exhibet.

13. *AXYRIS* herbacea, floribus capitatis. Tab. IV. fig. 2.

Blitoides ocymi folio STELL. *hort. sicc.*

Axyris foliis obouatis, caule subdiuiso, floribus capitatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1390.

Radix tenuis est, alba, lignosa, et aliquot crassiusculas propagines, minimis fibrillis auctas, transversim emittit. Caules interdum proxime e radice multi eriguntur, interdum vnicus transuersim supra terram procumbit, e quo demum per spatia vncialia caules surgunt, illorum instar vix dodrantales, quin et

et ſaepius palmares tantum, duri, non tamen lignoſi, tenues, rubentes aut virides, pilorum lanuginoſorum ſpecie veſtiti, arbuſculae inſtar valde in latum expanſi, foliis muniti crebris, ſubrotundis, latiusculis, in acutum mucronem ſubito terminatis, vtrinque aſperis et hirſutis, ſupra laete viridibus, infra pallide cinereis. Ex horum foliorum alis capitula craſſa, vmbellarum fere ſpecie, tomentoſa, eminent, femineorum florum ſedes. Extremitatem verſus pedunculi floriferi comparent, ſimillimi praecedentis ſpeciei, et flosculi etiam in globulos diſpoſiti, qui autem ſub primum floris tempus femellis veluti intermixti ſunt, longius demum poſtea, ſpica ſuccreſcente, remoti. In capitulis autem ſeminiferis tunc infra comparentibus, foliola maiora euadunt, et roſulas ſupra ſcriptas formant.

Huius characterem genericum Cl. LINNAEVS exhibuit, ſed etiam in hac, vti in priori, calix femellarum mihi triphyllus membranaceus viſus eſt. Semen vix abludit a ſemine prioris ſpeciei.

In *Ieniſeae* regione ſuperiori vt et ad *Angaram* fluuium et ad *Baicalem* lacum in montoſis locis, quae arena abundant, ſub medium Auguſti occurrit.

Icon plantae eſt ſilueſtris, et vnum plantae caulem exhibet, reſectis, quae illuſtratione non inſeruire poſſe iudicatum fuit. Hirſutia plantae adeo peculiaris eſt, vt penicillo difficulter adumbretur. Accedit quidem ad eam, quam pictor expreſſit, ſed aliquanto aſperior eſſe debuiſſet.

 * *Rha-*

* *Rhamnoides baccis nigris, asparago minoribus*, MESS. *Itinerar B.* MESSERSCHMIDIVS hanc plantam recenset, a se in superiori regione *Ienisseae* fluuii ad *Dabuthum* fl. collectam, quae nec a nobis nec a STELLERO vnquam obseruata est, nec vero siccam MESSERSCHMIDII plantam vidimus, ex qua certi quid de ea statuere liceret. Annon fuerit Osyris nostra Flor. Sib. Tom. II. n. 11.? Ita videtur.

14. *DAPHNE* floribus sessilibus infra folia ellipticolanceolata, LINN. *Lapp.* 140. *h. Cliff.* 147. *Suec.* 311. ROY. *p.* 208.

Chamelaea germanica, DOD. *pempt.* 364. *et* LOB. *ic. sub nomine Lauri pusillae p.* 367.

Laureola folio deciduo, flore parpureo, officinis laureola faemina, B. *pin.* 462.

Laureola folio deciduo s. Mezereum Germanicum, I. B. *I. p.* 1. *p.* 566.

Thymelaea lauri folio deciduo s. laureola faemina, TOVRN. I. R. H. 505.

Thymelaea floribus spicatis sub foliis ellipticis, modice acuminatis, leuibus, mollibusque, HALL. *Helv.* 188.

Daphne floribus sessilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis, LINN. *sp.* 1. *p.* 509. *n.* 1.

Non constans est ternus florum numerus ex eadem gemma. Duo et quatuor eadem frequentia occurrunt. Stigma corpus refert subrotundum, album, spongiosum.

Nasci-

Nascitur in omni *Russia*, et pergit per *Sibiriam* ad *Ieniseam* vsque fluuium. Hinc orientem versus deficit.

Fructus solus, quoad noui, incolis in vsu est, quibus propter aliquam formae similitudinem et vim vrentem дикой перецъ, (piper silueſtre) dicitur. Sexus sequior harum regionum, pallidae et macilentae faciei non amans, hisce baccis et rubentem et tumidulam sibi faciem conciliat. Corpore tepidarii vsu probe excalefacto, baccis cute spoliatis genas perfricant, vnde a virtute vrente tumor et rubor inducuntur, dolorosi quidem cuicumque alii, qui pulchritudinis rationem non habet. Equis radix medicinam praestat, quando pedes ipsis intumescunt, quod sub autumnum a pluuiosa tempestate paludibusque frequentibus, quas permeare coguntur, contingere solet. Veterinarii tunc radicis particulam loco setacei in summa pectoris parte traducunt, et quotidie loco mouent, donec tumor euanescat.

15. *STELLERA* foliis lanceolatis, corollis quinquefidis, LINN. *nou. gen. resp.* DASSOW. 1053. *Sp. pl. I. p.* 513. *n.* 2.

Chamaeiasme radice Mandragorae, GMEL. AMM. *Ruth. n.* 24. *p.* 16. 17. 18. *Tab. II.*

Valerianelloides polygoni folio, floribus in vertice conglobatis, semine turbinato, nigricante, surdo, MESS. PIN. AMM. *ibid. p.* 18.

Nihil habeo, quod addam siue LINNAEI descriptioni genericae siue meae, in AMMANIANO

opere exſtanti. Differt autem hoc genus a *Daphne* ſemine nudo, a *Paſſerina* LINN. ſtaminibus intra tubum. Cum paſſerina TRAGI conuenit, licet corollae paſſerinae quadrifidae tantum ſint, et octo tantum ſtaminibus praeditae, nam hoc in lino, gentianis, aſperulis, vacciniis aliisque innumeris in eadem ſaepe herba obſeruatur, vt natura digito veluti monſtret, propter eiusmodi differentias genera non eſſe diſcerpenda.

Quae de virtute medica olim ſcripſi, ea iam retracto, vlterioribus experientiis tam meis quam alienis, certior factus. Inter ſumme draſtica medicamenta collocanda eſt radix, cuius vix duodecim grana homini robuſto aliarum regionum propinare auderem. Surſum et deorſum purgat. Sibirici autem hominis ventriculus ad drachmam dimidiam et duos ſcrupulos perfert. An a frequentiſſimo ſpiritus frumenti vſu? Forte fibras ventriculi indurat et inſenſiles facit.

16. *ATRAPHAXIS* ramis ſpinoſis, LINN. *h. Cliff.* 138. *Sp. pl. I. p.* 475. *n.* 1. ROY. *pr.* 209.

Atriplex orientalis, frutex aculeatus, flore pulchro, TOVRN. *Cor.* 38. BVXB. *Cent. I. p.* 19. *Tab. XXX.* DILL. *Elth.* 47. *t.* 40. *f.* 47.

Omnia conueniunt cum deſcriptione exactiſſimi DILLENII, inprimis ſi ſtructuram florum ſpectes. Sed folia multo ſunt rotundiora, et ſpinarum vix veſtigium deprehendas, niſi vetuſtarum et forte ſuperioris anni. An maturum anni tempus, in quo planta obſer-

obſeruata eſt, huius differentiae cauſam inuoluit? Ita videtur. Nam germen in plantis, quas poſſideo, adhuc paruum eſt. Videntur enim ramulorum lateralium, in quorum alis flores pedunculis breuibus haerent, extremitates autumnum verſus foliis ſpoliari et indurari, et in ſpinas verti, quas, etiam ſecundum DILLENII obſeruationes, BVXBAVMIVS male vocat vncinatas. In deſcriptionibus nominatorum Auctorum id porro praetermiſſum eſſe videtur, quod caules et ramuli ſub tempus florum emiſſionis floribus tam copioſis veſtiantur, vt iis quaſi tecti ſint, quorum plurimi poſtea decidunt.

Cl. LERCHE *Aſtrachania* miſit. Teſte AMMANO *Ruth.* p. 161. etiam ad *Iaicum* fluuium in *Baſchcirorum* regionibus prouenit.

17. *CHRYSOSPLENIVM* foliis alternis, HALL. *Helu.* 189. LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 569. *n.* 1.

Saxifraga aurea, DOD. *Lugd. p.* 1113. I. B. *III. p.* 707.

Sedum paluſtre luteum maius, foliis longis pediculis inſidentibus, MOR. *Ox. III. p.* 477. *ſ.* 12. *t.* 8. *f.* 8.

Chryſosplenium foliis amplioribus auriculatis, TOVRN. I. R. H. 146. etc.

Chryſosplenium foliis pediculis longis inſidentibus, *EIVSD. ib.*

Chryſosplenium, LINN. *h. Cliff.* 149. *Suec.* 317. ROY. *pr. p.* 209.

In omni *Sibiria* in *Kamtſchatcam* vsque naſcitur.

18. *VRTICA* androgyna, foliis oualibus, LINN. *h. Cliff.* 440. *Suec.* 773. ROY. *pr.* 210.

Vrtica foliis oppoſitis oualibus, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1396. *n.* 5.

Vrtica vrens minima, DOD. *pempt* 152.
Vrtica minor acrior, LOB. *ic. p.* 522.
Vrtica vrens minor, B. *pin* 232.
Vrtica minor annua, B. *hiſt.* 3. *p.* 466.
Vrtica foliis ouatis, amentis cylindraceis, androgyna, LINN. *Lapp.* 375. HALL. *Helu.* 178.

In omni *Sibiria* frequens eſt, et turiones eius tam huius, quam ſequentis ſpeciei optimi oleris loco veris tempore nobis inſeruierunt.

19. *VRTICA* dioica foliis oblongo cordatis, LINN *h. Cliff.* 440. *Suec.* 774. ROY. *pr.* 210. HALL. *Helu.* 177.

Vrtica foliis oppoſitis cordatis, racemis geminis, LINN. *Sp pl.* 2. *p.* 1396. *n.* 6.

Vrtica vrens altera, DOD. *pemt.* 451.

Vrtica ſylueſtris aſperior, ſ. vrtica communis ſ. maior ſ. vrtica femina, LOB. *ic. p.* 521. *ex* DOD. *mutuo ſumta.*

Vrtica vrens maxima B. *pin.* 233.

Vrtica vulgaris maior I. B. *III. p.* 445.

Vrtica

Vrtica foliis cordatis, amentis cylindraceis, sexu distincta, LINN. *Lapp.* 374.

j. *Eadem caule rubente Vrtica rubra*, TAB. GER. B. *pin. l. c.*

Nascitur in omni *Sibiria* in *Americam* vsque. Varietas 1. ad *Taram* vrbem copiosissima erat.

In terris *Kamtschaticis* caules fili materiem praebent, tota etiam planta in cultu idololatrico et in cantamentis ludicrisque Kamtschadalorum visionibus magnarum virium esse perhibetur. In vsu tamen quocunque varietas caule rubente vulgari illi caule viridi praefertur. STELL.

20. *VRTICA* foliis oppositis tripartitis incisis LIN. *Vps. p.* 282. *n.* 2. *Sp. pl.* 2. *p.* 1396. *n.* 8.

Vrtica foliis profunde laciniatis, semine Lini, AMM. RVTH. 249. *Tab. XXV.*

Vrtica montana, altissima, trifido fere cannabis folio, semine in ramulis maiore, fuscescente MESS. *pin.*

Ab *Ienisea* fluuio in *Transbaicalenses* vsque regiones ad Sinas vsque frequentissima est. Excurrit etiam ad *Lenam* fluuium in *Kutam* vsque. Sed ex occidente *Ienisea*e deficit.

Semen non minus est, quam in vrtica pilulifera. Androgyna haec species plerumque est, interdum etiam dioica. Plantae radix est perennis.

21. *PARIETARIA* foliis ex lata basi ouatis, brevius mucronatis, verticillis laxissimis Tab. V. Fig. 1. a. b.

Mercu-

Mercurialis montana repens ocimi folio, STELL. *Irc.* 899.

? *Parietaria orientalis ſaxatilis ocymi folio lucido.* TOVRN. *Cor.* 30.

? *Parietaria minor ocymi folio* HALL. *Helu.* 177.

Fibris albis ſemdiaphanis capillaribus radix inter ſaxa latet. Cauliculi procumbunt diaphani, foliis cincti in adultioribus plantis, longius petiolatis, ex latiſſima baſi ouatis, in iunioribus breuius petiolatis, ſubrotundis, mucronatis tamen, et plerumque ad inſertionem petioli leuiter exſciſſis, ſiue cordatis, laete viridibus, ſemidiaphanis, ſi attente inſpiciantur, cauliculorum inſtar hirſutis, in quorum alis reſident aut breuibus pedicillis tanquam in verticillis laxiſſimis ſuſtentantur vna aut duae ſeries flosculorum, quarum ſingulis ſex foliola acuminata, piloſa, pro inuolucro contingunt, intermedius flosculus ſingularum ſerierum ex albo viret, monopetalus eſt, plusquam ſemiquadrifidus, laciniis acutis, infra veluti in tubum contractus, e cuius fundo quatuor filamenta enaſcuntur cum antheris exiguis, in fauce tubi conſpicuis. Germen huic, vti lateralibus, ex ouato acutum, aliquanto compreſſum eſt, nitens et hemidiaphanum, totius plantae inſtar. Stili aut ſtigmatis nec veſtigium cernere licuit.

Icon a. plantam altiorem, b. humiliorem ſiſtit, in qua poſteriore pictor exciſiones ad petiolorum inſertionem plane neglexit.

Tota planta mentae ſimilem remiſſum odorem ſpirat.

Per

Per totam *Sibiriam* in rupeſtribus occurrit, nusquam autem laetius natam vidi, quam in ſpecubus ſubterraneis. Occurrit a medio Iulio ad finem vsque Septembris.

22. *POTAMOGETON* foliis linearibus, oppoſitis alternisque, diſtantibus, baſi patentibus, caule tereti, LINN. *Suec.* 147. *EI. Sp. pl.* I. *p.* 184. *n.* 12.

Potamogeton minimum capillaceo folio, B. *pin.* 193. *Pr.* 101.

Potamogeton gramineum tenuifolium, LOES. *Pruſſ.* *p.* 206. ic. 67.

Potamogeton puſillum, folio gramineo breuiore, VAILL. *Par. Tab. XXXII. f.* 4.

Potamogeton foliis linearibus, alternis, remotis, ROY. *pr.* 213.

Potamogeton caule terete, foliis anguſtiſſimis, ſpica minima, HALL. *Helv.* 201.

In *Scholcunenſi* lacu *Catharinopolitani* tractus metallici, vt et in *Orchovca* amne frequens naſcitur.

23 *POTAMOGETON* foliis lanceolatis, alternis, vndulatis, ROY. *pr.* 212. LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 183. *n.* 5.

Potamogeton foliis criſpis, ſ. lactuca ranarum, B. *pin.* 193.

Fontinalis criſpa, B. *hiſt. III. p.* 770.

Fontilapathum puſillum LOB. *ic.* 286.

Folia ſunt oblonga, criſpa, acuminata, ad baſin aurita, in caule diaphana.

In ſtagnis ad *Angaram* circa *Roswodnaium* pagum et ab *Vſchacovcam* amnem et ad *Barguſinum* fluuium b. STELLERVS obſeruauit. Ego nusquam vidi.

24. *POTAMOGETON* foliis oblongo-ouatis, petiolatis, LINN. *h. Cliff.* 40. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 182. *n.* 1. ROY. *pr.* 212. HALL. *Helv.* 199.
Potamogetum, FVCHS. *p.* 651.
Potamogeton rotundifolium, B. *pin.* 193.

In omni *Sibiria* in aquis pigre fluentibus occurrit

25. *POTAMOGETON* foliis lanceolatis in petiolos deſinentibus, LINN. *Cliff.* 40. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 183. *n.* 4. *EI. Suec.* 141. ROY *pr.* 212.
Potamogeton alpinum plantaginis folio, TOVRN. I. R H 233.
Potamogeiton aquis immerſum, folio pellucido, lato, oblongo, acuto, R. *Hiſt.* 188.
Potamogeton foliis ouatis longiſſimis pediculatis, HALL *Helv.* 199.
I. Idem foliis variis.

Planta haec, quae in omni *Sibiria* et *Ruſſia* copioſe naſcitur, folia ouota raro profert, ſed plerumque lanceolata, in ſuperiore caulis parte oppoſita, infra alterna.

In varietate j. quae *Petropoli* frequens eſt, folia multo ſunt minora, et ſuperiora quidem exacte referunt, etiam quod ſpectat ad texturam, folia prioris ſpeciei,

ſpeciei, inferiora vero huius, vt incertum ſit, an ad hanc an ad praecedentem maiori iure referenda ſit. An loci conditio, nimirum aquae minus profundae, folia magis ouata et duriora, profundiores lanceolata potius et molliora reddunt? Si haec alterioribus obſervationibus confirmarentur, concluſio prono flueret alveo, hanc et praecedentem plantam ſpecie non differre. Sin minus, ad generationem hybridam, botanicos hodie vexantem, confugiendum erit.

26. *POTAGOMETON* foliis cordatis, amplexicaulibus, LINN. *Lapp.* 69. *Suec.* 140. *ej. Sp. pl.* 1. p. 182. *n.* 2. ROY. *pr.* 212. HALL. *Helv.* 199.

Potamogeiton tertia, DOD. *pempt.* 582.

Potamogeton altera, DOD. I. B. III. 778.

Potamogeton perfoliatum, RAI. *Hiſt.* 188. *Syn. III.* 149.

Potamogeton rotundifolium alterum, LOES. *Pruſſ.* 205. t. 65.

In omni *Sibiria* frequens eſt.

27. *MYRIOPHILLVM* floribus maſculis interrupte ſpicatis, LINN. *h. Cliff.* 446. *Suec.* 781. *EI. Sp. pl.* 2. *p.* 1409. n. 1. ROY. *pr.* 213. Tab. noſtr. V. fig. 2.

Millefolium aquaticum pennatum ſpicatum, B. *pin.* 141. *Pr.* 73. *fig.* 1.

Myriophillum vulgare maius, VAILL. *act.* 1719. *p.* 30.

Pentapteris ſcapo floriſero nudo, HALL. *Helv.* 201.

In modo florendi Sibiricae noſtrae plantae ab Europaea nullam plane differentiam noui. Sed folia perpetua ſunt quaterna, vti deſcribit et pingit C. BAVHINVS in prodromo. Nec LINNAEVS in flora ſuecica diffitetur ſaepe quaternis foliis variare. Inſigniorem differentiam in ipſis foliis animaduerti. Inueni aliquando circa *Turam* vrbem in *Orchovca* amne, nondum florentem, quae ſimillima erat plantae Europaeae, praeterquam quod folia erant quaterna; In *Mana* fluvio aquis, ſpica excepta, tota erat immerſa, ſed foliola, quae pinnas conſtituunt, erant fere ſex duplo maiora, quam in planta vulgari, ſaltem internodia, quibus folia diſtabant, longitudine ſuperabant, licet capillaria eſſent.

Hanc delineari curaui ex ſicco exemplo, vbi quidem infimum internodium ad naturam exactum eſt. *a*) in eodem internodio eſt ramus. Vix tamen credo, haec ad fingendum nouam ſpeciem ſufficere, cum varia in aquis immerſio et variis fluminis gradus multas in plantis aquaticis mutationes efficere poſſint.

28. *MYRIOPHILLVM* floribus omnibus verticillatis, LINN. *h. Cliff.* 446. *Suec.* 782. *El. Sp. pl.* 2. *p.* 1410. *n.* 2. ROY *prodr.* 213.

Myriophyllum aquaticum minus, CLVS. H. CCLII.

Mille-

Millefolium aquaticum, flosculis ad foliorum nodos, B. *pin.* 141.

Potamogeton flosculis ad foliorum nodos, TOVRN. I. R. H. 233.

Pentapterophyllum aquaticum, floribus ad foliorum nodos, DILL. *gen.* 125. RAI. *Syn. III.* 316.

Pentapteris floribus foliis insidentibus, HALL. *Helv.* 203.

1. Foliis quaternis, pinnis superiorum breuissimis.

Potamogeton pinnatum, flosculis ad foliorum nodos quaternis, BVXB. *Cent. V. p.* 8. *Tab. XVI.*

Nonnisi varietatem conspeximus, quae in *Mana* fluuio a priori specie amoene laeteque virenti colore vel e longinquo discerni poterat. Inferiora folia siue illa, quae aquis perpetuo immersa erant, pennis perquam longis respectu superiorum praedita erant, vti etiam depingit ea CLVSIVS. Quaternus autem foliorum numerus ad distinctionem speciei causa non videtur sufficiens, cum reliquae partes omnes nihil discrepent.

Vtraque species a *Iaico* ad *Angarum* et *Bargusinum* vsque fluuios passim prouenit.

29. *CHARA* vulgaris, LINN. *Lapp.* 469. *Suec.* 992.

Chara caulibus leuibus, frondibus interne dentatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1624. n. 2.

Equiſetum foetidum ſub aqua repens, BAVH. *pin.* 16. *prodr.* 25. *theatr.* 251. B. *hiſt.* 3. 731.

Hippuris foetida, DILL. *giſſ.* 105.

Chara vulgaris foetida, VAILL. *act.* 1719. *p.* 23. *t.* 3. *f.* 1. RAI. *Syn. III. p.* 132. HALL. *Helv.* 196.

Chara caulibus laeuibus, ROY. *pr.* 533.

Recens ex aqua collecta egregie viret, ſicca albide cinerea euadit. Manſu arenoſa eſt, et peſſime foetet.

In *Mana* fluuio paſſim et copioſe naſcitur.

30. *THESIVM*, LINN. *Cliff. p.* 41. HALL. *Helv.* 183.

Theſium panicula foliata, foliis lineari — lanceolatis, LINN. *Sp. pl.* 1. p. 3. n. 1.

Anonymos lini folio, CLVS. *Pann.* 312.

Linoſyris nuperorum, GER. ic.

Linaria montana flosculis albicantibus, B. *pin.* 213.

Linariae ſimilis, I. B. *III.* 461.

Alchimilla linariae folio calyce florum albo, TOVRN. I. R. H. 509.

Palmare et haud ramoſum occurrit, et aliquanto procumbens, ſed et pedale, admodumque ramoſum. Saepe etiam inueni et floribus et fructibus orbum, tunc rami ramoſiſſimi ſunt, extremis veluti in cornua arcuata deſinentibus.

Per

Per omnem *Sibiriam* nusquam hospes est.

Multum conuenit, cum Thesio linophyllo sesamoides procumbens montanum, *Linariae folio, floribus albicantibus*, MORIS. *hist.* 3. *pag.* 601. *s.* 15. *t.* 1. *f.* 3. ast differre mihi tamen panicu'ae videntur, quas MORISON floribus solitariis sparsis depingit, cum congestos omnes habeant specimina sicca, in herbariis Sibiricis adseruata. Caeterum binae hae plantae non multum differunt, poteritque vna alterius varietas esse. Cel. LERCHE Botanicus eximius, *Astrachaniae* obseruauit aliam, quae vt simplex est, ita quoque pauca folia habet, sed latiora.

31. *SCLERANTHVS*, annua, calicibus fructuum clausis. Tab. VI.

Aut *Alchimilla erecta, gramineo folio, minore flore* TOVRN. et *Alchimilla gramineo folio, maiori flore* EI. specie non differunt, tunc nostra tertia erit varietas; Aut vero differunt, tunc nostra tertia species, annuam vitam cum priori, calices fructuum clausos cum posteriori communes habens. Habitu certe priori simillima est, floris etiam colore et magnitudine et annua radicis vita. Si forte tamen aliis felicioribus esse contigerit, ex icone quandam aliam eruere differentiam, eorum in gratiam iconem plantae durioris latifoliaeque fig. 1. et aliam plantae mollioris et tenuifoliae fig. 2. apponendam curaui.

In montosis montis *Neiwensium* DEMIDOWII officinarum, tractui metallico *Catharinopolitano* adscriptarum, magna copia nascitur.

32. *POLYGONVM* floribus ſubſolitariis, in alis foliorum ſeſſilibus, ſtaminibus octo.

Polygonum latifolium, C. B. P. 281.

Polygonum ſ. Centumnodia, I. B. III. 377.

Polygonum, CAES. *Syſt.* 168. LINN. *Cliff.* 150. *Suec.* 322. ROY. *pr.* 215. HALL. *Helv.* 182.

Polygonum floribus octandris trigonis axillaribus, foliis lanceolatis, caule procumbente herbaceo, LINN. *Sp.* 1. 519. *n.* 15.

Nusquam non obuia eſt. Nec varietatibus recenſendis immorari lubet, quia nulla facile eſt ab auctoribus recenſita, quae in Sibiria locis conuenientibus non inueniatur. Saepe obſeruaui folia anguſta et lata, tumque caulem ſemper altiſſimum, ramoſiſſimum. Vidi etiam ſaepe cum corolla quadripartita, paſſim immixta, ſed in eiusmodi corollis ſuprema ſtaminum ſeries quaternarium numerum non excedebat, inferior tria ſtamina, vt in corolla quinquepartita continebat.

Ruſſ. подорожникъ (ad vias proueniens) dicitur.

33. *POLYGONVM* ſimplici ſpica terminatum, foliis imis appendiculatis, ſeminibus triquetris.

α) Radice magis intorta, folio minus rugoſo.

Biſtorta, DOD. *pempt. p.* 333.

Biſtorta Britannica, LOB. *ic.* 292.

Biſtorta media folio minus rugoſo, I. B. III. 539.

β) Radice minus intorta, folio rugoſo.

Biſtorta

Bistorta, CAMER. *Epit.* 683.
Bistorta maior serpentaria, Tab. 434.
Bistorta foliis ouato-oblongis, acuminatis, LINN. *Cliff.* 150. *Vps.* 95. *Sp. pl.* 1. *p.* 516. *n.* 2. ROY. *Lugd.* 217.
Bistorta foliis imis appendiculatis, semine triquetro, HALL. *Helv.* 178.

I. Spica prolifera. Flores ex ipsa spica passim longioribus pedunculis prodeunt.

II. Spica gemina.

III. Foliis vtrimque viridibus, minus acuminatis, spica habitiore, Tab. VII. fig. 1.
Bistorta saxatilis folio crasso rigido, STELL. *Irc. n.* 788.
Bistorta an alpina media C. B. P. STELL. *Ochot.* 456. cat. plan. in insula BERINGII prouen.

IV. Foliis omnibus ex cordato lanceolatis.

In omni *Sibiria* copiosissime in campis elatis et vastis nascitur, varians radice magis aut minus aut vix intorta, altitudine caulis, longitudine et latitudine foliorum, colore eorum infra magis aut minus glauco, forma etiam eorundem ex ouato oblonga, lanceolata, acuta aut obtusa, ex cordato lanceolata.

Var. I. ad *Lenam* fluuium occurrit.

Var. II. ad *Lenam* pariter fluuium bis vidi. In vno exemplo caulis circa medium diuiditur, et singuli rami spica onusti sunt, in altero infra spicam fere

monſtroſam incuruatam, ramulus abſcedit, ſpicam minorem ferens.

Var. III. pariter ad *Lenam* fluuium paſſim obſeruaui. STELLERVS in rupibus excelſis circa *Barguſinenſe* munimentum, ad *Bielam*, *Iunam*, *Iudomam* fluuios, et *Ochotii* vt et in terris *Kamtſchaticis*, in locis montoſis, muſcoſis, ſiccioribus collegit.

Caulis in montoſis locis palmaris eſt, dodrantalis et cubitalis admodum, ſed raro, in humilibus et humidis locis duos dodrantes longus. Folia in prioribus locis rigidiuſcula et anguſtiora, quam in vulgari ſpecie, in his multo maiora, ita vt planta eiusmodi in loco nata vix non aliam mentiatur ſpeciem. Spica florum craſſa, alba, vnciam et in depreſſis locis ſesquiunciam longa eſt, in his autem locis in ſummitate tantum floret, reliqui calices non euoluuntur, ſed proliferi euadunt, ſeu potius monſtroſi. Foliola viridia, breuia, breuibus petiolis fulta, loco ſpicae ſunt. Calix ſaepiſſime in quinque, raro in quatuor tantum lacinias finditur. Staminibus inſtruitur candidis, antheris violaceis. Qualis radicis ſit forma, STELLERVS filet, ſcribit autem, nullius auſteri terrei adſtringentis ſaporis eſſe, ſed dulcedinem auellanarum domeſticarum ſapere, leuiter tantum adſtringere, et ſaepe ſe in via erutas radices vel integros dies et ad ſatietatem vsque comediſſe. Noſtrae plantae ad *Lenam* fluuium collectae, cuius iconem ad viuam plantam fieri curauimus, radix plane non intorta erat, et caulis palmo non multo maior, et perpaucis ex lanceolato linearibus foliis

ſtipa-

ſtipatus, et flosculi ſpicae fere omnes pedunculati. Folia longiſſimis pediculis ex radice prodibant, nec a foliis vulgaribus multum differebant, vti ex ipſa icone videre eſt, in qua * ſemen triquetrum denotat. Haec planta inter ſaxa, humido nec admodum alto, loco nata erat.

Ruſſi Ochotenſium et Kamtſchaticarum terrarum radices Makárſchino Korenie (Макаршино Коранье), Tunguſi Ochotenſes Tſchagitſch, Itaelmänni ad fluuium bolſchaiam, Sikui, ad Kamtſchatcam fluuium yſakoe vocant. Vti radix vulgaris biſtortae, per omnem Sibiriam obuiae, Ruſſis ad gonorrhoeas et alui fluxus ſiſtendos adhibetur, ita in hiſce regionibus huius radix ad ventris tormina mitiganda comeditur. Tunguſorum et gentium, Kamtſchatcam incolentium, quotidianus et gratiſſimus cibus eſt, aut ſine vlla praeparatione crude comeſtus, aut cum medulla chamaenerii ſpecioſi, radice vlmariae, bulbisque lilii reflexi in vnam maſſam compactus, quae deinceps ad maiorem ferculo gratiam conciliandam in pinguedine piſcium elixatur. Ruſſis hoc Tolkuſcha (толкуша), Itelmännis Selaca dicitur, atque adeo nobilem famam apud idolorum cultores habet, vt hoc appoſito quilibet iudicet, quod hoſpiti ſit acceptiſſimus. Eadem radices a muribus in commeatum hiemalem copioſe congeruntur, quorum ſolertiam incolae eximie fallunt, latebras ruſpantes et ſpoliantes. Solent autem mures hiſce radicibus radices aconiti, Italmännis ob virus letiferum famoſas, admiſcere, quaſi fures humanos hac mixtione arcere vellent, quas itaque Italmänni ſtudio-

ſe ſeparant, reputantes ſecum, mures earum vſu diebus feſtis inebriari, vti id faciunt quidam eorum hauſtu ſpiritus ſphondylii aut Coriacci eſu fungi muſcarii. O lepidam philoſophiam. STELLER.

Quoquomodo ſe res habeat, haec omnia mihi nondum perſuadent, biſtortam hanc a vulgari ſpecie differre; Quoad enim diſcernere licet, partes ad florum et fructuum formationem ſpectantes nihil differunt, nec foliorum inſignis eſt differentia.

Varietatem IV. D. KALM, ſolers et diligens Suecus botanicus, in itinere ſuo Ruſſico collegit et mecum beneuole communicauit.

34. *POLYGONVM* caule ſimplici, ſpica terminato, foliis ad oram neruoſis, ſeminibus ouatis. Tab. VII. fig. 2.

Biſtorta minor ſiue alpina, CAM. *epit. p.* 684.
Biſtorta alpina minor, C. B. GMEL. AMM. *Ruth. p.* 169.
Biſtorta alpina pumila varia, RAI. *hiſt. p.* 187.
Biſtorta alpina minima foliis imis ſubrotundis et minutiſſime ſerratis, RAI. *Syn. III. p.* 147.
Biſtorta foliis lanceolatis, LINN. *Lapp.* 152. *Cliff.* 150. ROY. *pr.* 217.
Polygonum caule ſimpliciſſimo monoſtachyo, foliis lanceolatis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 516. *n.* 3.
Biſtorta foliis ad oram neruoſis, imis oualibus, ſuperioribus linearibus, ſemine gigantino, HALL. *Helv.* 179.

Biſtor-

Bistorta pumila foliis inferioribus latioribus, superioribus angustioribus, STELL. *Irc.* 787. *Ochot.* 455.

I. Eadem spica bulbifera.

Bistorta montana, minor, radice intorta, angusto folio, flosculis in spicae cacumine albis, sterilibus, inferna spicae parte tuberculis prolificis, turbinatis, puniceis foecunda, MESS. *Xen. Is. Sib.* AMM. *Ruth. n.* 243.

Bistorta foliis lanceolatis, viuipara, LINN. *Lapp.* 152. et alior. auct.

Bistorta angustifolia, spica foliosa, STELL. *Irc.* 789.

Radix parua est, perparum incurua, fusca, intus alba, saporis leuissime adstringentis. Caulis foliis vtrinque viridibus, saepe tamen infra glaucis, stipatis, plerisque lanceolatis, spicam fert albam, saepe pallide purpureo colore imbutam, vncialem et palmarem, quam sequuntur semina fusca, ex ouato acuminata. Folia inferiora plerumque ex ouato oblonga sunt, et obtusa, (id tamen humiliori varietati magis familiare est) caulinorum instar ad oras pectinata, quam conformationem pictor vix expressit.

Varietas I. in spica ramulos profert foliolis et tuberculis, radiculos protrudentibus, onustos.

Omnium laetissime nascitur iuxta amnes, ad radices montium fluentes, occurrit tamen in omni *Sibiria in Kamtschatcam* vsque, quod vero aliquanto mirum videtur, campi elati saepe gignunt plantas cubi-

tales, et loca humiliora vix palmares, interdum triunciales.

Iacutis radix Mjaeka - arſchin dicitur, iisdemque ſiccata contuſa, et cum lacte cocta cibum eximium praeſtat. Sed nec mures eam aſpernantur, qui in inferiori *Ieniſeae* fluuii regione in commeatum hiemalem eam congerunt, et a vicinis ſuis, humana gente, ſaepe ſpoliantur. Allatae mihi ſunt radices eiusmodi furto acquiſitae, et ſane dulciores guſtuique acceptiores, ſaltem minus adſtringentes, mihi viſae ſunt, quam recens effoſſae.

In icone eſt integra planta ad viuum picta, a. ſpica prolifera eiusdem plantae, qualis ſaepe occurrit.

35. *POLYGONVM* ſpicis ſolitariis pedunculatis, ſtaminibus quinque, foliis ſerratis.

Potamogeton ſiue ſtahytes, fontalis et ſpicata, LOB. *ic.* 307.

Potamogeton ſiue Fontalis Perſicariae folio, I. B. *III.* 777.

Potamogeton ſalicis folio, C. B. P. 193.

Potamogeton ſalicis folio, Potamogeton anguſtifolium dicta, RAY. *Hiſt.* 184. TOVRN. I. R. H. 509.

Perſicaria acida Iungermanni, TREW. *comm. lit. Nor. ann.* 1737. *p.* 396. *hebd. L. Tab. V. fig.* 1. 2.

Perſicaria florum ſtaminibus quinis corollam ſuperantibus, ſtylo bifido, LINN. *Cliff. p.* 41. ROY. *pr.* 216.

Poly-

Polygonum floribus pentandris semidigynis, staminibus corolla longioribus, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 517. *n.* 6.

Persicaria foliis serratis, spica densa cylindrica, HALL. *Helu.* 181.

Persicaria floribus pentandris digynis, corolla staminibus breuiore, LINN. *Suec.* 318.

Nusqnam non obuia est, in omni *Sibiria.* Extra aquas nunquam conspexi, licet vix dubium sit, quin amphibiam naturam etiam in *Sibiria* retineat.

36. *POLYGONVM* spicis densis, floribus hexandris, digynis, seminibus compressis, vaginis ciliaribus.

Persicaria DOD. *cereal. p.* 271.

Persicaria altera, MATH. 584. CAM. *Epit. p.* 353. *Tab.* 857.

Persicaria mitis, I. B. *III.* 779. TREW. *Comm. lit. Nor.* 1737. *Tab. V. fig.* 3. 4. *et forte etiam* 5. 6.

Persicaria mitis non maculosa, C. B. P. 101. TOVRN. I. R. H. 509.

Persicaria florum. staminibus senis, stylo duplici, LINN. *h. Cliff.* 42. ROY. *pr.* 216. GRON. *Virg.* 157.

Persicaria foliis non serratis, pene glabris, vaginis florum ciliaribus, spicis densioribus, HALL. *Helu.* 180.

Persicaria floribus hexandris digynis, LINN. *Suec.* 319.

Poly-

Polygonum floribus hexandris digynis, ſpicis ouato-oblongis, foliis lanceolatis ſtipulis ciliatis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 518. *n.* 10.

α) Foliis infra incanis.

Perſicaria folio ſubtus incano R. *Syn. III.* 145.

Perſicaria foliis non ſerratis, ſubtus tomentoſis, HALL. *Helu.* 181.

β) Floribus albis.

Perſicaria mitis floribus candidis, TOVRN. I. R. H. 509.

In omni *Sibiria* paſſim naſcitur.

Fateor, ſtilum non ſemper duplicem me obſervaſſe, ſaepe tamen infra concretus erat, nec ſtaminum numerus conſtans eſt, vltra ſeptem autem non aſcendit. Nec caulis ſemper eſt fulcratus, nec ſapor herbae ſemper prorſus mitis, nec laciniarum in flore numerus, conſtans, ſaepe enim quatuor tantum adſunt. Circa Taram Vrbem locum inueni, qui ab aquis vernalibus erat inundatus et poſtea exſiccatus, vbi haec ſpecies laetiſſime et ad humanam altitudinem naſcebatur, cuius flores omnes erant quadrifidi, et folia omnia viſco quaſi obducta. Dimidia et ſuperior caulis pars, vt et genicula, intenſe rubebant. Vidi etiam corollis quadrifidis paullo irregularibus. Maculatam varietatem in Sibiria non vidi, STELLERVS autem in flora *Ircutenſi* recenſet.

37.

37. *POLIGONVM* ſpicis interruptis, rariſſimis, foliis ex lineari lanceolatis, ſeminibus obtuſe triangulis, vaginis ciliatis.

Perſicaria anguſti folia, C. B. *pr. p* 43. R. *Hiſt. p.* 183. TOVRN. I. R. H. 509.

Perſicaria puſilla repens, LOB. *ic.* 316. *et* R. *Hiſt. l. c.*

Perſicaria foliis anguſtiſſimis, pene glabris, ſpicis interruptis rariſſimis, vaginis, ciliaribus, HALL. *Helu.* 181. (Apud Cel. LINNEVM praecedentis varietas videtur eſſe.)

Folia pro ſoli conditione magis aut minus lata ſunt, ſaepe profecto tam lata, vt priori ſpeciei parum cedant. Deinde magis aut minus ramoſa eſt, et ramos interdum valde in latum ſpargit. Floſculi ſunt quinquefidi, ex albo virentes. Stilus ſimplex, ſtigma duplex aut triplex. Membranae circa genicula diſpoſitae in acutos mucrones deſinunt, vaginae autem floriferae in quinque aut ſex albentes rigidiuſculos pilos, lineam circiter longos. Semina minora ſunt, quam reliquarum ſpecierum, et magis triangula, nigra, nitentia. Deſcriptionem reliquarum partium, quae ad flores et fructus ſpectant, omiſi, quia ſatis cum ſequenti ſpecie conueniebant.

In vicinia cataractae *Manenſis* ſub medium Auguſti hanc plantam totam inueni rubram, niſi quod folia ſupra paſſim viridibus maculis notata fuerint. Caeterum nusquam rara eſt.

Cl. LERCHE *Aſtrachania* plantam transmiſit, huic ſpeciei per omnia ſimilem, niſi quod cilia vagi-

narum breuia ſint. Spicarum eadem omnino eſt ratio. Vſum plantae incolis Aſtrachanenſibus perquam familiarem eſſe dicit in morbo, qui ibi locorum Tſchetſchai dicatur, ſc. in angina, quae cum aphtis coniuncta eſt, et infantibus plerumque, ſaepe etiam adultis, contingat. Lingua, guttur et palatum intumeſcunt, inflammantur, quae inflammatio ſaepe in vlcera deſinit, et palatum arrodit et peredit, tandem apicem naſi aggreditur et malum fit pertinax, fere cancroſum, annos integros durans, lue ſua alios etiam inficiens; quodſi aliquando aedes hac lue infectae ſunt, facile alios etiam aggreditur et difficulter expellitur. Herbam ſiccatam inque puluerem tenuem contritam aromatibus permiſcent. Zingiberi, piperi et cinamomo, vt et alicui ſalis ammoniaci quantitati, addentes pro re nata aliquid vitrioli de Cypro; ſiue tres herbae partes cum vitrioli de Cypro et aluminis ſuſti corticisque anguriarum viridium ſingulorum p. 1. confundunt et in puluerem conterunt. Alterutrius huius puluerис aliquam partem cum fiſtula ori inflant, vt partes inflammatae omnes illo adſpergantur. Adultis etiam pulvis cum melle miſtus partibus dolentibus illinitur. Apud infantes puluis inflatus viſibilem edit effectum. In ipſa filia D. LERCHE intra octo dies effectum demonſtravit. Antequam hoc medicamentum cognitum eſſet, multi morte ignorantia culpam luerunt.

38. *POLYGONVM* ſpicis ſtrigoſis, laxis, foliis lanceolatis, ſeminibus obtuſe triangulis, vaginis debilibus.

Hydro-

Hydropiper, FVCHS, *p.* 842.
Hydropiper sive Persicaria, MATTH. *p.* 583. CAM. *Epit. p.* 352.
Hydropeperi, *Persicaria*, *Hydropiper*, LOB. *ic. p.* 318.
Persicaria vrens seu Hydropiper, B. *pin.* 101. TOVRN. I. R. H. 509.
Persicaria florum staminibus senis, *stilo bifido*, LINN. *Cliff.* 46. ROY. *pr.* 216.
Persicaria acris, *spicis longis*, *strigosioribus*, *vaginis non ciliatis*, HALL. *Helv.* 181.
Persicaria floribus hexandris, *semidigynis*, LINN. *Suec.* 116.
Polygonum floribus hexandris semidigynis, *foliis lanceolatis*, *stipulis muticis*, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 517. *n.* 9.

In omni *Sibiria* nusquam non nascitur. Cum priori specie, cui similem acredinem possidet, seminum figura conuenit Folia nunquam tam lata deprehendi, quam Germanicae.

39. *POLYGONVM* spicis longis copiosissimis, foliis ex lineari lanceolatis, vaginis debilibus, floribus pentandris, trigynis Tab. VIII.

? *Persicaria procumbens*, *longissima*, *angusti folia*, *non maculosa*, *spica longiori*, *laxiori et graciliori*, SLOAN. *cat. plant. Iam.* 48. *Hist. Iam.* 17. *Tab. III. fig.* 1.

Polygonum (ocreatum) floribus pentandris trigynis, foliis lanceolatis, LINN. *Sp. pl. ed.* 2. *p.* 517. *n.* 8.

Radix auricularis digiti crassitie extra lutea est, intus alba, glabra, in duo plerumque capita diuisa, plurimis praeterea viticulis repit, e quorum nodis paruae minutissimae fibrae passim prodeunt.

Caules procumbunt et passim angulosi sunt, glabri tamen, aut leuissime striati, nodosi, virides et interdum rubentes ad singulos nodos duabus tribusue membranis albidis, fuscis et interdum rubentibus, aridis, longiusculis et acutis instructi, valde in latum diffusi, tres, duos et vnum cubitum longi, saepe pede inferiores.

Folia sunt angusta, duas vncias cum semisse longa, lanceolata, subsessilia, reuoluta, glabra et splendentia, laete viridia, infra aliquanto pallidiora, gustu adstringentia, radicis parum acriore. Stipulae amplae sunt, geminae, coniunctae.

Ex foliorum alis fere ab imo ad summum e singulis singuli exeunt rami, quorum quidam breues foliis tantum vestiti, alii longiores et foliis et in summitate spicis floriferis onusti sunt, iis similibus, quales summos caules terminant, multae et laxae, vnciales ad modum florum alborum, extra interdum leuiter rubentium, ad fundum vsque in quinque lacinias obtusas fissorum. Stamina quinque sunt, apicibus albis instructa, in quorum medio embryo residet, tribus stilis

lis conſpicuus, quorum ſingulis ſtigma globoſum conceſſum eſt.

Ab *Ieniſea* ad *Lenam* vsque fluuium paſſim occurrit in locis humilioribus ad ripas fluuiorum.

Noſtra icon ad exemplum non valde florens facta eſt. An haec eſt ratio, quod pedunculi in SLOANEA icone multo longiores ſint? Caeterum in noſtra multa tam caulium quam ramorum et viticularum radicis pars ad ſubleuandum pictoris laborem reſecta eſt.

Huius ſpeciei varietas datur, foliis ſubtus hirſutis, et cum priore paſſim occurrit.

(Vix ac ne vix quidem comprehendo, quomodo Ill. LINNAEVS Polygono ſuo barbato, quod ſub definitione floribus hexandris trigynis, ſpicis virgatis, ſtipulis truncatis, ſetaceo-ciliatis, foliis lanceolatis, hoc SLOANEI Synonymon adponere potuit, cum certiſſime pertineat ad hanc ſpeciem, quae eadem eſt cum Polygano ocreato. Adparebit, ſi comparabitur icon, quam ſculpi curauimus, cum ea quam SLOANEVS exhibuit, nec quempiam offendent pedunculi in poſteriore longiores, cum B. Patruus faſſus fuerit, ſuam ad exemplum non valde florens factam eſſe, egoque in horto academico obſeruauerim, prouenientes pedunculos iuniores illis multo minores eſſe, qui aliquandiu floruerunt. Iubentque proinde procumbentia caulis, illeque anguloſus et nodoſus, membranis illis albidis ad ſingulos nodos inſtructus, iubentque folia anguſta, lanceolata, ſubſeſſilia, et reuoluta, iubentque demum ſpicae ex eorum alis

prodeuntes, vt habitum taceam (quae quidem omnia in nostram SLOANEI que Iconem exacta quadrant) vt Sibirica haec Polygoni species cum Sloanea coniungatur; familiare enim est, diuersissimas regiones vnas et easdem producuere plantas. Iungo huic obseruationi aliam, quam etsi censura sit, non aegre tamen Vir summus feret.

Ad Polygonum barbatum dubitanter quamuis Persicariam, foliis ouatis glabris, quum in Comment nostrorum nouorum Tom. I. B. KRASCHENINNIKOW descripsit et delineauit, et Persicariam Maderaspatanam, longiore folio, hirsuto, forte Bellitta - Modda - Muccu horti Malab. quam PLVCKNETIVS Phys. t. 210. f. 7. figura expressit, adlegat LINNEVS, inuenio autem has plantas, vt inter se distinctissimas, sic et secundum descriptionem Coryphaei Botanicorum a Polygono barbato toto caelo abhorrentes.

PLVCKNETII persicaria longissima folia habet, in petiolum decurrentia, hirsuta, lanceolata, et ea, quam KRASCHENINNIKOW, exhibuit, petiolata, ouata, alterna, glabra. Vtraque vaginas cillatas et pilosas gerit, sed gerunt easdem persicariae aliae. PLVCKNETII Persicaria flores gerit spicatos dense congestos et sessiles, ad omnem plantam: Persicaria foliis ouatis spicas habet terminales, remotas, alternas, petiolatas, spiculis sessilibus, quibus foliola alterno situ et forma, caulinis similia adduntur. Flores in posteriore bigyni. Habitus vtrisque diuersus; vt euidentissimum sit, singulam propriam constituere speciem, polygoni generi subii-

subiiciendam ex descriptione enim LINNEI patet, neutram eo pertinere, quo relata fuit).

40. *POLYGONVM* spicis paniculatis, diffusis, floribus octandris, trigynis, foliorum lanceolatorum vaginis glabris. Tab. IX. fig. 1.

+ octandris

Persicaria montana foliis longioribus et angustioribus, floribus racemosis, AMM. *Ruth.* 240.

Helxine foliis lanceolatis, caule diffuso, LINN. *Vpf.* 96.

Polygonum floribus octandris trigynis racemosis, foliis lanceolatis, caule diuaricato, patulo, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 520. *n.* 18. (non Synonyma).

Vaginae tum foliorum, tum florum integrae sunt. Spicae innumerae, laxissimae, vix petiolatae, caulium ramorumque summitates exornant. Folia, quae in siluestri planta tantum non linearia, in hortensi lanceolata euadunt.

Semina exacte triquetra egregie nitent. Stilus vix vllus, sed tria globosa stigmata flori insunt. BVXBAVMIANAM plantam, vt LINNAEVS fecit, coniungere cum hac non audeo.

In regionibus *Transbaicalensibus* et ad *Lenam* fluvium *Ochotium* vsque vbique frequens est. Ex fide Cl. HEINZELMANNI etiam in *Nagaiensibus* campis *Vralenses* montes versus prouenit.

Icon ramulum florentem sistit.

41.

41. *POLYGONVM* ſpicis paniculatis, denſe conſtipatis, floribus octandris, trigynis, foliorum lanceolatorum vaginis hirſutis. Tab. X.

Radix longe repit, et paſſim ex geniculis fibras demittit. Caulis erectus eſt, rotundus, ſaltem rariſſime anguloſus, in ramos et ramulos varie diuiſus et ſubdiuiſus, et circa diuiſionem nodoſus, ibidemque praeſertim ad inferiores nodos pilis ſatis longis, albentibus hirſutus.

Folia mollia ſunt, plerumque alterna, lanceolata, in ambitu criſpa, perpetuo latiora, quam in praecedente ſpecie, ſaturiori viridi picta, infra in glaucum vergentia, vtrimque breuibus pilis hirſuta. Summus caulis interdum ſpicas fert breuiores, ſpiſſe congeſtas, interdum praelongas, laxiusque diſpoſitas, aut breuiores quidem, ſed laxiores et pauciores. Flores maiusculi ſunt, nonnunquam etiam minores, aliquanto irregulares et in quinque ſubrotundas lacinias profunde fiſſi. Numerum ſtaminum non ſemper octonum inveni, ſed ſenarium etiam et ſeptenarium.

Acidum guſtum fouet, propterea Ruſſi ad *Iſetum* fluuium habitantes nomine dignati ſunt мамарская капуcma (braſſica Tatarica).

Nusquam in *Sibiria* hoſpes eſt, maxime tamen pro loco natali amat margines agrorum et agros effectos, ſub initium Iun. ſi clima faueat, flores iam emittens.

(Structu-

(Structuram partium ad flores et fructus ſpectantium cum priori ſpecie communem habet, etſi nullas glandulas nectariferas, illis licet intentus, conſpicere potuerim, quas Cel. LINNAEVS priori ſpeciei aſſignat. Idem vir Cel. *Perſicariam alpinam alteram ſaxatilem, foliis durioribus aculis* BOCC. *muſ.* 2. p. 108. t. 83. tanquam ſynonymon perſcripſit, quod in horto Vpſalienſi (vt et poſtea in ſpeciebus plant.) priori plantae adiecit, nondum autem perſuadere mihi poſſum, vt eam cum priori ſpecie coniungam, cum tot diſtinctionis notae occurrant. Semen in adverſariis B. PATRVI vno in loco inuenio Perſicariae ſemini ſimile pronunciatum eſſe, ſed in horto triangulum vidi, quod reticere nolui, ſiue negligentia in obſeruando, ſiue ſpecierum diuerſitas in culpa ſit.)

42. *POLYGONVM* ſpicis paniculatis longiſſimis, laxis, cauli approximatis, floribus octandris, trigynis, ſemine duplo minoribus, foliis lanceolatis, rigid uſculis. Tab. XI. fig. 1.

Fagopyrum orientale, ramoſum et multiflorum, Perſicariae folio TOVRN. *Cor.* 39. BVXB. *cent. II. p.* 31. Tab. XXXI.

Perſicaria fruticans anguſtifolia, flore albo STELL. *Irc.* 776.

Cum penultima ſpecie perquam conuenit, ſed differt foliorum venis exſtantioribus, ipſis foliis caulinis et ramorum conſpicue maioribus, quae autem ſpicis ſubiiciuntur, minoribus, ſeminibus denique co-

rollas longe ſuperantibus. Folia ſupra viridia ſunt, infra pallidiora. Caulis teres eſt, ex alis ramoſiſſimus, ramis late ſparſis. Floribus octo filamenta inſunt, corolla breuiora et ſtili tres, ſemen pallide fuscum nitens, exacte triangulum, quod in icone ad plantam ſiccam facta nimis turgidum exhibetur.

43. *POLYGONVM* caule diffuſiſſimo, ſpicis laxis, floribus octandris, trigynis, ſemini aequalibus, foliis lanceolatis. Tab. XI. fig. 2.

STELLERVS ſub eodem nomine quo priorem plantam transmiſit, a qua differt foliis multo breuioribus copioſioribusque, caule vix ſemipedali diffuſiſſimo et paſſim diſtorto, ſeminibus corollarum longitudine iisdemque multo pallidioribus.

Iisdem locis, quibus prior, collecta eſt. Icon ad ſiccam plantam exarata eſt, ſatis nitida.

Forte quinque iam recenſitas plantas in plures diſcerpſi ſpecies, quam fas eſt. Spero autem, minus hinc botanicis imminere periculum, modo illi poſtea ſollertibus obſeruationibus definiant variabile, quousque extendatur. Tunc non difficile erit coniungere ſeparata.

(44. *POLYGONVM* foliis ouatis, hirſutis, floribus pedunculatis in ſpicis laxiſſimis Tab. IX. fig. 2

Perſicaria geniculata, ſalicis folio lato et incano, STELL. *Irc.* 777.

Vix ad dimidium pedem aut dodrantem aſſurgit caule procumbente et intorto; diu ſub arena repente

te et ex internodiis radiculas agente, qui cum primum erupit, magis aut minus hirſutus eſt, ſub canitie rubens, aut virens. Membranis pro more cingitur per vncialia circiter interualla, perquam hirſutis et ſimul ramis folioſis ſiue foliis vtrimque hirſutis et fere incanis, breuiſſimis petiolis innixis, ouatis et ſaepe, obſcure quidem, ad marginem ſinuatis. Spicae floriferae ſuprema verſus ex alis foliorum prodeunt ſingulae ſub angulo valde acuto, vnciales circiter, laxae, ſaepe vno et altero flosculo ab extremitate ſpicae longo ſpatio remoto. Ex ipſa etiam ala ſingularis plerumque flosculus exit. Omnes autem flosculi albidi longiusculis pedunculis inſident.

STELLERVS, ſolus huius plantae obſeruator, de ea praeter nomen et locum natalem nihil memoriae prodidit, ſiccas tamen plantas transmiſit, ex quibus hanc qualemcunque deſcriptionem concinnaui, iconemque fieri curaui. De numero ſtaminum et ſtilorum certo mihi non conſtat. Semen perſicariae ſimile videtur, quia STELLERVS ad hoc genus retulit. STELLERVS obſeruauit ad *Baicalem* lacum, et Iulio, Auguſtoque menſibus florere, ſemen Septembri maturare ſcribit.)

45. *POLYGONVM* fruticoſum, floribus pentapetalis, octandris, trigynis, duobus externis petalis reflexis, ramis ſubulatis acutis Tab. XII. fig. 1.

Pedali, cubitali et ſesquicubitali altitudine ſurgit, virgis interdum tenuiſſimis, nonnunquam cygni calamum craſſitie aequantibus, albentibus et laeuibus, mul-

tis ramis ab imo ad ſummum veſtitis, ſub angulo fere ſemirecto et nonnunquam recto, qui rurſus plerumque ſubdiuiduntur ſub angulis ſemirectis minoribus, exeuntibus; Ramorum et caulis extremitates per acutis floribus foliisque delapſis totidem ſpinas rigidas imitantur.

Folia laete viridia ſunt, oblonga, latitudine varia, in mucronem ſubito plerumque terminata, ſaepius obtuſa, pulchre venoſa.

Flores in ſummitatibus ramorum ramulorumque et caulis ſpicis laxis prodeunt, in pedunculis longiusculis, qui poſt florum delapſum rigidiores fiunt, inferiora verſus curuantur, et ſpicas reflexas imitantur. Quinque ſunt petala, quorum duo minora, alba, aut pulchre rubentia aut vtroque colore varia, ſaepe profunde inciſa, vt tria quatuorue aemulentur, tria erecta multo maiora, ex ouato ſubrotunda, marginibus integra, coloribus etiam variantia. Octo ſtamina ſingulis floribus inſunt, totidem apicibus inſtructa, ſtilum valde caducum, ſtigmate campaniformi, in triplex fungoſum corpus deſinente, ornatum, cingentia. Semina magna, triangula ex fuſco nigricant.

Icon ad plantam viuam facta eſt.

Ad *Askiſchum* fluuium *Krasnoiarenſis* tractus maxima naſcitur copia.

46. *POLYGONVM* fruticoſum, floribus pentapetalis, octandris, trigynis, duobus externis petalis reflexis, ramis in extremo inermibus Tab. XII. fig. 2.

Poly-

Polygonum caule fruticoso, foliolis calicinis duobus reflexis, LINN. *Vpſ.* 95. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 516. n. 1.

Atraphaxis inermis foliis planis, LINN. *h. Cliff.* 138.

Lapathum Dauricum montanum fruticans, ramis late ſparſis, folio oblongo, anguſto, plano, rigidiusculo, arrecto ſemine in longis flagellis magno, AMM. *Ruth.* 227.

In vniuerſum dici poteſt, hanc ſpeciem minus eſſe ramoſam, et ramos nunquam in ſpinas terminari. Differt etiam pedunculis, qui ſemper recti manent, licet etiam rigeſcant et floribus delapſis fere ſpinas imitentur. Notabilis denique differentia ſtigmatum eſt, quae in hac ſpecie fere ſine interuentu alius corpusculi germini incumbunt, cum in altera ſtilus breuiſſimus et corpusculum quoddam campaniforme tribus fungoſis prominentiis intercedant. Flores etiam, germina et ſemina huius minora ſunt, quam in altera ſpecie. Folia denique huius rigidiora ſunt, et lentius in mucronem abeunt, quam illius. Neſcio denique, an pro differentia etiam commemorari poſſit, quod duo petala, quae in floribus panſis reflexa eſſe ſolent, in hac, floribus nondum panſis, reliquorum inſtar germen inuoluant.

In altera enim ſpecie flores immaturos non licuit videre.

In hac inermi foliola calicis viridia, oris albis et petala alba, in medio purpurea, patentia, obſerua-

vi, filamentaque inaequalia, ſcilicet tria longiora et quinque breuiora, antheras erectas, baſi bifidas. Cetera habet Cel. LINNAEVS, quem conſule.

Ad *Irtim* fluuium obſeruaui et circa *Selengiam* vrbem collectam ad me transmiſſam accepi, denique ipſum nomen MESSERSCHMIDIANVM indicat, in vlteriori *Dauria* etiam inueniri, licet STELLERVS plane de hac planta ſileat.

Icon plantam inter chartas ſiccatam optime exprimit.

(Sanctiſſima lex, quam mihi impoſui, nihil eorum mutandi quicquam, quae digeſta et ad vmbilicum perducta in codicibus optimi AVCTORIS inuenio, ea et nunc fecit, vt duas vltimo enarratas ſpecies hic recenſuerim, eas autem cum *Atraphaxi ramis ſpinoſis*, ſupra commemorata, certo certius coniungere videtur natura, vt adeo ex mea ſententia ad illud genus pertinerent. Non iubet ſola petalorum copia aut paucitas plantas inter ſe quam maxime adfines faciemque genericam vnam et eandem omnino exprimentes ſeparare, quoniam in illis Polygoni ſpeciebus, quae *Perſicariae* dicuntur, in eadem ſpecie tetrapetalae obſervantur. Neque huc aliquid facit ſtaminum piſtillorumque numerus, cum tot tantisque conuincamur exemplis, minutias eſſe, talia perſequi, ridiculumque, ex luſibus naturae normas conſtituere.)

47. *POLYGONVM* caule volubili, LINN. *Lapp.* 154. *Hort. Cliff.* 150. *Fl. Suec.* 323. ROY. *p.* 217.

Poly-

Polygonum foliis cordatis, caule volubili, floribus planiusculis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 522. *n.* 25.

Conuoluulum nigrum, DOD. *pempt.* 396. et ex eo

Cissampelos altera atriplicis effigie, LOB. *ic.* 624.

Conuoluulus minor semine triangulo, B. *pin.* 294.

Helxine semine triangulo, I. B. II. 157.

Fagopyrum vulgare scandens, TOVRN. I. R. H. 511.

Fagopyrum scandens, semine calyci incluso, HALL. *Helv.* 173.

α. *Fagopyrum praelongum dumetorum, seminibus tribus alis pellucidis cinctis*, RVPP. *Ien. I. p.* 79.

Fagopyrum praelongum dumetorum, seminibus alatis duplici more dispositis, DILL *Giess. p.* 136. *nov. spec. p.* 60.

Fagopyrum maius scandens, VAILL. *bot. Par.* 52.

Polygonum foliis cordatis, caule volubili leui, floribus carinato-alatis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 522. *n.* 26.

(Rectissime LINNAEVS ex hac B. AVCTORIS varietate propriam speciem constituit, cum et specimina sicca, in *Sibiria* lecta, et plantae in horto cultae differentiam specificam constanter seruent, a viro Celeberrimo in Spec. plant. paucis, sed graphice adlegatam. Analogia ceterum summa!)

In omni *Sibiria* frequens est.

48.

48. *POLYGONVM* floribus octandris, trigynis, seminibus triangulis, angulis sinuatis. Tab. XIII. fig. 1.

Helxine caule erecto inermi, foliis cordatis sagittatis, seminibus subdentatis, LINN. *Cliff.* 151.

Fagopyrum erectum fructu aspero, AMM. *Ruth.* 242.

Frumentum Saracenicum Kiolischa ACT. NAT. CVR. *Vol.* 3. *n.* 1.

Fagopyrum erectum fructu ex calice eminente serrato, HALL. *Goett.* 5.

Fago-triticum Sibiricum, *Act.* STOCKH. 1744. *p.* 117. *T.* 4.

Helxine caule erectiusculo inermi, foliis cordato-sagittatis, seminibus subdentatis, LINN. *Vps.* 96 *n.* 1.

Polygonum foliis cordato sagittatis, caule inermi erecto, seminibus subdentatis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 521. *n.* 23.

Modus crescendi est vulgaris Fagopyri, quod in agris nostris coli solet, et praecipua differentia est in seminibus, quae e fusco cinerea sunt, scabra, singulis angulis circa medium protuberantibus. Videor mihi obseruasse, flores, e quorum calicibus germen eminet, femellas esse; Nam interdum omnia stamina deficiunt, interdum vnum et alterum tantum adest, reliqui autem androgyni sunt et abortum patiuntur. Stamina octo stilos tres breuissimos cingunt, quorum stigma-

ta

ta minutissima sunt et simplicia. Globulos nectariferos videre mihi visus sum, sed valde minutos, vt numerare nequiuerim.

Nascitur ad *Ieniseam* fluuium, quo semen Chalmuccorum terris peruenisse verisimile est, vt et in regionibus *Transbaicalensibus* ad *Argunem* fluuium.

Russi Krasnoiarenses mutuato a Tataris nomine Kyrtyk, Argunenses incolae Dikusch vocant, quod sponte nascatur.

Inter cerealia bonae notae referri meretur, pulmenta enim ex seminibus tritis cocta mihi non differre videbantur ab iis, quae ex seminibus satiui nostri parari solent.

Icon ad plantam viuam exarata est. A semina sub diuerso situ repraesentat.

49. *POLYGONVM* foliis sagittatis, caule aculeato, GRON. *Virg.* 44. Tab. nostr. XIII. fig. 2.

Helxine caule erecto, aculeis reflexis exasperato, LINN. *Cliff.* 151. *Tab. XII.* ROY. *pr.* 217.

Polygonum foliis sagittatis, caule aculeato, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 521. *n.* 24.

Fagopyrum palustre scandens, caule quadrangulo, aspero, semine nigro, STELL. *Irc.* 785.

Planta videtur esse annua, quia radix per exigua est, fibrosa, geniculata, rufescens. STELL. Caules ex eadem radice duos et tres, raro plures, (aut vnus tantum, sed fere ab exortu in tres aut quatuor

 partes

partes diuiſus), erecti, aut procumbentes, aut ſi frutices in vicinia ſunt, ſcandentes, plus minus pedales, plerumque tenues, raro craſſiusculi, dilute virides et paſſim rubentes, quadrati, ſingulis angulis raris, brevibus, infra ſpectantibus, aculeis armatis, vnde manu ſecundum caulem ſuperiorem verſus fracta aſperitas inſignis ſentitur, aſperitatem aparines multum ſuperans.

Folia in caule non admodum frequentia ſunt, ſuperiora longiora, quam inferiora, inſigniter ſagittata, anguſta, ſupra laete et interdum cum aliqua flaui coloris tinctura viridia, infra ſubglauca, vncialis et biuncialis longitudinis, vix ſemiunciam lata, inferiora petiolata, ſumma amplexicaulia. Ex infimis foliis ſaepe etiam vnum et alterum fere aeque lata ſunt, quam longa, et illa fere cordata.

Extremum caulis duobus tribusue ramulis variae longitudinis, inter vnam et tres vncias variantibus, terminantur, quorum ſingulorum faſtigia nouem decemue flores ferunt, in parua muſcaria coactos, in planta procumbente ſaepe e viridi albentes, apicibus tamen laciniarum rubentibus et in erecta ſaepe totos dilute rubentes, exiguos, et in quinque ſubrotundas lacinias ſectos, raro apertos, ſemen includentes paruum, obſcure fuſcum, triangulum. Singulis floribus duo minima folia, ſquamas referentia, ſubſternuntur. Ad glandulas, cum plantam obſeruarem, non attendi.

Circa *Ircutiam* vrbem in vdis locis ad *Angarum* fluuium vt et ad minores amnes in locis colliculis exiguis-

guis muscosis inaequalibus, cum Potentilla fruticosa, ad quam scandere solet, copiose nascitur, quin et in ipsis aquis et stagnis prouenit, Iulio mense florens, et sub initium Septembris semina maturans.

Icon LINNAEANA optima est, sed plantam hortensem exprimit, cum nostra silueſtrem, in loco natali ex planta erecta factam. Nec nobis de LINNAEANA icone constabat, cum nostram fieri curaremus.

Nota. Quod Polygonum, bistortam, helxinem et persicariam in vnum genus coniecerim, nemo succensebit, qui naturam consulet. Polygonum et persicariam coniungunt vaginae floribus subiectae, et quod multae dentur persicariae, octo staminibus praeditae, vti in Polygono, laciniarum autem floris numerus omnibus hisca generibus vnus idemque est. Helxinem etsi videantur glandulae a reliquis generibus distinguere, dubia tamen res est, cum in vna nostrarum specierum vix illae distingui queant. Viderunt hoc iam celebratissimi huius seculi botanici. De bistorta, helxine et polygono iam consilium dedit Ill. LINNAEVS, summam affinitatem persicariae cum bistorta aperte satis monstrauit naturae vestigia vbique legens Ill. HALLERVS.

50. *ATRIPLEX* caule herbaceo, valuis seminum dentatis.

Atriplex sylueſtris humillima, DOD. *pempt. p.* 615.

Atriplex sylueſtris polygoni aut helxines folio, LOB. *ic. p.* 257.

Atriplex angusta oblongo folio, C. B. P. 119. TOVRN. I. R. H. 505.

Atriplex caule annuo, foliis superioribus lanceolatis, integerrimis, LINN. *Cliff.* 469. ROY. *pr.* 218.

Atriplex valuis seminum dentatis, foliis superioribus integris, HALL. *Helv.* 173.

Atriplex caule herbaceo, valuulis femineis seminum disco dentatis, LINN. *Suec.* 828.

Atriplex caule herbaceo, patulo, foliis subdeltoideo - lanceolatis, calycibus seminum disco dentatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1494. *n.* 10.

In *Isetensi* prouincia passim obuia est. Cel. LERCHE etiam ad *Wolgam* fluuium collegit.

51. *ATRIPLEX* caule annuo, foliis deltoideo - lanceolatis, obtuse dentatis, subtus farinaceis, LINN. *Cliff.* 469. *Suec.* 826. *EIVSD. Sp. pl.* 2. *p.* 1494. *n.* 8. ROY. *pr.* 218.

Atriplex marina, DOD. *pempt.* 615.

Atriplex maritima laciniata, B. *pin.* 120. MOR. *H. II.* 607. *S.* 5. *t.* 32. *f.* 17.

1. Eadem foliis leuiter dentatis et integris.

Atriplex Halimi folio, C. B. MOR *Hist. II.* 607. *S.* 5. *t.* 32. *f.* 18.

Quod ad spicas spectat, Halimum referunt. Folia viridia sunt, breuia, vti in nostris speciminibus, aut longiora, in basi insigniter lata, vt triangulum aequilaterum vel oblongum referant, sinuata, supra viridia,

viridia, infra passim farinae specie aspera, obtuso plerumque fine, sed spinula breuissima non raro terminato.

In varietate 1. quam etiam a D. LERCHE habemus, folia aut prorsus integra sunt, aut infra leuiter dentata. Rami sunt numerosissimi, sub angulo semirecto maiore a caule distantes. Foliola costata, verrucosa et dentata, quibus semina includuntur, constantem characterem speciei exhibent, et plantae multae in locis salsis foliis magis variant, quam quae aliis in locis nascuntur.

Passim ad *Ienisseam* fluuium et praecipue in superiori eius regione ad lacus salsos reperi foliis vtrimque farinaceis, et haec est eiusmodi foliis, qualia icones sistunt. Sed D. LERCHE ex *Astrachania* ad me specimina misit varia.

52. *ATRIPLEX* foliis ex sinuato hastatis, spicis arctissimis, valuulis seminum dentatis. Tab. XIV. fig. 1.

Atriplex maritima alba frutescens, foliis angulosis incanis, SIEG. *primit. p.* 15.

Caules inter palmum et pedem altitudine variant, rubri, aut rubro colore veluti conditi, simplices aut a media altitudine in aliquot ramos, longitudine parum diuersos, diuisi, quibus per duas tertias semina vncialibus et minoribus interuallis aliquot assident. Extremum autem caulium et ramorum in multas arctissimas spicas terminantur, vnciales et longiores. Folia fere omnia ad exortum vsque extremarum spicarum

oblonga ſunt, ad ſesquiunciam, breuibus petiolis affixa, ſinuata aut haſtata, obtuſo fine, ſumma linearia, incana, firma, pulchre venoſa. Valuae ſeminum coſtatae ſiue venoſae, magis aut minus dentatae, nullae integrae. An varietas praecedentis ſpeciei?

D. LERCHE *Aſtrachania* ad me miſit.

53. *ATRIPLEX* caule fruticoſo, foliis obuerſe ouatis, LINN. *Suec.* 829.

Halimus I, CLVS. H. 53.

Portulaca marina, DOD. *pempt.* 771.

Halimus ſiue portulaca marina B. PIN. 120.

? *Atriplex caule fruticoſo, foliis deltoidibus integris*, LINN. *h. Cliff.* 469. ROY. *pr.* 218.

Ita videtur ex ſynonymis.

Quare Cl. LINNAEVS in flora Suecica Raji portulacam marinam anguſtifoliam, quae Halimus II. Clus. eſt, tanquam plantam ſynonymam alleget, diuinare nequeo. Sed nec ego de ſpecie valde certus ſum, cum racemi florum in mea ramoſi ſint, quod nec in DODONAEI nec in CLVSII iconibus animaduerto. Deinde etiam nihil rubri coloris in racemis obſeruare datur. E ſummitate caulis multae ſpiculae prodeunt, vnciales et biunciales, et ex illis aliae minores, vt veluti ramoſi appareant, omnes arctae, foliis prorſus nudae, lutei coloris. Folia in planta florente potius viridia ſunt,

ſunt, quam cana, aut ſaltem infra tantum aliquanto cinerea, ſupra viridia. Semina ferens planta, qualem a Cl. LERCHE accepi, *Aſtrachania* miſſam, tota incana eſt. In vno ſpecimie ramuli ſunt, floribus an alia re monſtroſa onuſti, ſimillimi ramulo, qualis ad Halimum II. CLVS. in I. B. Hiſt. 1. 2. 229. a latere ſiniſtro appingitur. Hanc vir Cl. in campis ſalſis et aridis, inter *Aſtrachaniam* et *Kislariam* exſtantibus, collegit. Plantam vocat ſingularem cum legumine criſtato. biluaſui, viridi, et ſcribit, valuas eſſe tridentatas, et in baſi vtriusque lateris tria vel plura tubercula viridia exſtare, ſpinis tamen carere, ſemen in vna valua eſſe ſubrotundum, in altera anguſtum, curvatum. Eſt tamen certe nihil aliud quam Halimus. Et forte ſingularia illa corpuſcula, in quae ramuli quidam etiam in ſpecie hac latifolia degenerant, indicio ſunt, Halimum I. et II. CLVS. ſpecie inuicem non differre.

In orientali littore *Irtis* fluuii paſſim in campis aridis vt et ad lacum ſalſum *Iamyſcham* copioſe occurrit.

54. *ATRIPLEX* caule erecto annuo, foliis triangularibus, LINN. *Cliff.* 469. *Vpſ.* 303. *EIVSD. Sp. pl.* 2. *p.* 1493. *n.* 7. ROY. *pr.* 217.

Atriplex hortenſis, DOD. *pempt.* 615.
Atriplex hortenſis alba ſeu pallide virens, B. *pin.* 119.

1. Eadem omnibus partibus maior.
Atriplex altiſſima, roſea, foliis ſplendentibus, AMM. *Ruth.* 233.

Atriplex

Atriplex folio viridi ſplendente, GERB. *Tan.*
Atriplex fruticoſa Tatarica, GERB. *hort. ſicc.*
? *Atriplex foliis deltoidibus ſinuatis vndulatis alternis*, LINN. *Vpſ.* 303.

Caulis bicubitalis et altior, craſſus, nitet. Folia craſſa ſunt, guſtu aliquanto acida, pallide viridia cum glaucore, paucis venis diſtincta, formae variae, quaedam ex lata baſi in longum mucronem terminata, oris aequalibus, quaedam deltoidea, alia ſerrata aut ſinuata, triangula etiam, omnia tamen vtroque extremo contractiora.

In omni *Sibiria* frequens naſcitur.

Plantam n. 1. non poſſum non, quin pro eadem planta habeam. Nam quicquid dicat b. AMMANVS, non deſunt foliis alba illa ſtigmata, quae in hortenſi conſpiciuntur. Fructus autem nihil plane differunt. An ſerum florendi tempus differentiam ſpecificam indicet, tempus et cultura docebunt? Saltem non adeo improbabile eſt, ſemina calidarum regionum non tam cito aſſueſcere frigidiori climati. GERBERVS ſuam plantam inter *Bielgorod et Graiworon* vt et circa oppida *Vcrainae* et *Lubnam*, alii prope *Aſowum* inuenerunt.

55. *ATRIPLEX* valuis ſeminum integris, foliis omnibus ex lineari lanceolatis, integris et ex ſinuato-dentatis. Tab. XIV. fig. 2.

Atriplex maritima, anguſto folio, ſemine atriplicis ſatiuae. STELL. *Irc.* 758.

Cl.

Cl. LINNAEVS, ad quem ſiccam plantam transmiſi, pro varietate habet Atriplicis caule erecto herbaceo, foliis omnibus integerrimis, ROY. prodr. 218. ſed quoniam etiam huius deſcriptio nusquam proſtat, eam exhibere allaborabimus.

Radix rigida eſt et fere lignoſa, biuncialis et ſemipedalis admodum, tenuis et procul dubio annua, interdum ſimplex, tenuiſſimisque fibris, quae nonnunquam rigidae ſunt, et ſecundum planum varia, dodrantali interdum, longitudine exſtant, aucta, interdum in quatuor aut quinque partes palmares, in imum deſcendentes, vndulatas, rigidas, candidas, paucisque fibris ſtipatas, diuiſa, ſupra etiam minutiſſimis, in varios ſenſus excurrentibus, fibris aucta, in ortu plerumque leuiter rubens.

Caulis inferiora verſus penitus lignoſus eſt, cubitalis, bicubitalis, et interdum tres cubitos altus, tenuis ſaepe, ſed nec raro circa exortum cygneo calamo craſſior, circa inferius extremum totus pallide purpureus, aut et laetiſſime rubens, ſuperiora verſus rubens, et luteſcente colore maculatus, aut et pulchre virens, cum ſtriis paſſim luteſcentibus, (quo in caſu tamen circa alas ramorum non raro rubet) in florente planta pallidus plerumque et ſaturioribus viridibus ſtriis ſecundum longitudinem ornatus, intus medulla alba farctus, obtuſe quadrangulus, aut et ſubrotundus et teres, ſaepe rectus, non raro tortus et aliquousque ſecundum planitiem excurrens, ab imo ad ſummum per triuncialia, biuncialia et vncialia interualla ex ad-

verſo et alternatim ramoſus, inferiorum tamen ramorum rudimentis tantum ſuperſtitibus. Rami, caule tenuiores, eodem colore inſigniuntur, quo pars caulis proxima, quidam etiam toti virides ſunt, alii ex vna parte egregie purpurei, ex altera virides, ſtriati, ſi caulis ſtriatus eſt, et ſub angulo admodum acuto prodeunt, et plerique ad ſummum caulem pertingunt, eademque ratione, quam caulis, ramos ſecundarios ſpargunt, foliisque per totam longitudinem veſtiuntur, ex aduerſo et alternatim ſitis, duas et tres vncias longis, breuioribus, craſſis et ſucculentis, haud venoſis, eandem plerumque plagam autumni tempore ſiue fructu maturo reſpicientibus, lanceolatis, lineam et trientem vnciae pro varia longitudine latis, dentatis, coloris e glauco aut pallide viridis, ope breuis leuiter purpurei petioli, coſtam prolongatam mentientis, ramis annexis. Superiora folia dimidia linea plerumque haud latiora et vix vnciam longa ſunt. Ex horum foliorum alis alia duo, tria aut quatuor confertim folia enaſcuntur, Kali minoris albi folia immitantia, niſi quod breuiora ſint, et puluere quaſi, leuiter luteſcente, aſpera.

Vix aliquot ramos caulis dimiſit, et ipſe ſub ſingulis ramis folium promit, foliis ramorum longius, et pro ratione latius, magisque dentatum, in medio inprimis caule, vbi dentes valde eminent, infra ſaepe leui purpura paſſim aſperum.

Aliis ſingulorum ramorum inter minima, mox nominata foliola parui, rotundi, luteo et rubro varii glomeres, flosculis hermaphroditis conſtipati, inſident.

Extre-

Extrema vero ramorum, quum foliis perexiguo intervallo positis vestiantur, quae in ipso extremo adeo minuta sunt, vt visum fere fugiant, et arctissime sese mutuo excipiant, in spicam desinunt, infra interruptam, in fastigio perquam arctam. Extremum caulis per palmare fere spatium lanuginosum, singulas de foliorum alis spicas promit vnciales et sesquiunciales, tandem etiam multo minores, infra pariter interruptas, extremum versus integras, in spicam denique vnciale m desinit, passim etiam delinquentem.

Hoc in statu plantam *Tarae* d. x. Aug. clɔlɔccxlɪ. vidi et descripsi. Quum post ea sub finem eiusdem mensis campos *Wagaienses* peragrarem, eadem planta cum flosculis femellis et semine maturo copiosissime obuenit. Obseruaui autem, dispositionem horum flosculorum seminumque eadem omnino ratione factam esse, qua hermaphroditorum, per glomeres nimirum, propter maius vero spatium, seminibus concessum, adeo arcte dispositos, vt caulis extremum et ramos tantum non tegant. Semina ista parua sunt, compressa, subrotunda, fusca, folliculis biualuibus, viridibus, et quo in loco ramis adhaerent, saepe rubentibus, comprehensa. Nusquam vidi semina, a hermaphroditis reliqua. An germina omnia abortum passa sunt? An in diuersis plantis nascuntur hermaphroditi et femellae? De hoc vero nihil statuo.

Nascitur a *Iaico ad Ienisseam* vsque fluuium, vt et ad lacum salsum camporum *Konkurkinensium*.

56. *CHENOPODIVM* foliis cordatis, angulato acuminatis, racemis ramosis nudis, LINN. *Suec.* 214. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 319. *n.* 8.

Atriplex sylvestris latifolia, acutiore folio, B. *pin.* 119.

Chenopodio affinis, folio lato, laciniato, in longissimum mucronem procurrente, florum racemulis sparsis, R. *Hist. III. p.* 123.

Chenopodium stramonii folio, VAILL. *Tom. VII. fig.* 2. *p.* 36. R. *Syn. III.* 54.

Chenopodium foliis triangulari-sagittatis, infra medium sinuato-dentatis, racemis longissimis, LINN. *Cliff.* 84. ROY. *pr.* 219.

Chenopodium folio leui, paucis et amplissimis dentibus inciso, ramis florigeris laxis et ramosis, HALL. *Helv.* 174.

I Idem foliis triangulis.

Nusquam non in *Sibiria* frequens est. Folia varietatis I. tantum non exacte referunt folia boni Henrici, sed spicae dispositio speciem distinctissime prodit.

57. *CHENOPODIVM* foliis triangularibus, subdentatis, racemis confertis, strictissimis, cauli approximatis, longissimis, LINN. *Suec.* 209. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 318. n. 2.

Chenopodium latifolium minus ramosum, petiolis longissimis ex foliorum alis confertim nascentibus, BVXB. HALL. 69. *t.* 1.

Che-

Chenopodium erectum, foliis triangularibus dentatis, spicis e foliorum alis plurimis longis erectis tenuibus, R. *Syn. III.* 155.

A *Iaico* ad *Ieniseam* vsque frequens planta est. Incolae ad *Wolgam* fluuium semen huius plantae, quod copiosum fert, in pulticulam conquunt, et boni nutrimenti esse dicunt, quod etiam palato arrideat.

58. *CHENOPODIVM* foliis ouato-oblongis, repandis, racemis nudis simplicibus, glomeratis, solitariis, LINN. *Suec.* 215. *El. Sp. pl.* 1. *p.* 320. *n.* 13.

Atriplex angustifolia laciniata minor, I. B. *II.* 972. *et* 973.

Chenopodium angustifolium laciniatum minus, TOVRN. I. R. H. 506. RAI. *Syn. III. p.* 155. VAILL. *Par.* 35.

Chenopodium foliis ouato-oblongis repando-sinuatis, florum racemis glomeratis, ex ala solitariis, LINN. *Cliff.* 85.

I. Eadem foliis plerisque integerrimis.

II. Eadem foliis subulatis.

Iisdem locis nascitur, quam prior species. Varietatem III LERCHE ad *Wolgam* fluuium collegit, ego etiam passim in *Isetensi* prouincia et ad *Irtim Ieniseamque* fluuios caulibus tam rubentibus quam viridibus obseruaui. In illis etiam racemi rubebant. Folia fere erant oualia, obtusa, cum apiculo. Caules saepe ramosissimi occurebant, inprimis, qui rubore tincti

fuere. Fructus videtur esse longus, columnaris, in tubos quinque desinens, et forte nouum genus constituit. Cetera nullam differentiam vidi.

Varietatem II. in rupestribus specuum subterranearum *Ovsianensium* copiose inueni; Cel. LERCHE etiam ex *Wolga* ad me transmisit. Caules plurimam partem eleganter purpurei, saepe etiam superiora versus vno latere virentes, duri, tenues, quadranguli, dodrantem et pedem longi, plerumque simplices, infra foliorum quasi rudimentis, postea foliis perexiguis, tandem maioribus vestiti, dimidiam lineam latis, tres vnciae quadrantes longis, crassis et perparum venosis, rubris, viridibus, aut rubro colore fimbriatis, ad basin saepe aliquanto angulosis spicarum dispositione valde conuenit cum recensita specie, quare huc retulimus.

59. *CHENOPODIVM* foliis cordato - triangularibus, obtusiusculis, dentatis, racemis erectis compositis subnudis, caule breuioribus, LIN. *Suec.* 210. *El. Sp. pl.* 1. *p.* 318. *n.* 3.

Pes anserinus, DOD. *pempt.* 616.
Atriplex sylueſtris, siue Pes anserinus latifolia, laceris laciniis, LOB. *ic.* 254.
Atriplex dicta pes anserinus, I. B. II. 475.
Atriplex sylueſtris latifolia, C. B. P. 119.
Chenopodium folio laciniato, coma purpurascente, VAILL. *Par.* 35.
Chenopodium erectum foliis subtriangularibus, antice sinuato - dentatis, racemis erectis foliosis,

losis lateralibus, LINN. *Cliff.* 85. ROY. *pr.* 219.

Chenopodium folio leui, multis et variis dentibus laciniato, HALL. *Helv.* 174.

Passim per omnem *Sibiriam* nascitur.

60. *CHENOPODIVM* foliis rhomboideis dentato sinuatis, racemis ramosis, subnudis, LINN. *Suec.* 213. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 319. *n.* 1. 7.

Chenopodium syluestre opuli folio, VAILL. *Par.* 36. *t.* 7. *fig.* 1.

Chenopodium folio subtus farinoso rhomboideo, multis et minoribus dentibus serrato, HALL. *Helv.* 175.

I. Idem foliis plerisque linearibus integerrimis.

Chenopodium folio oblongo integro, DILL. *app.* 62. *Giss.* 154.

II. Idem foliis subulatis.

Nusquam rarum est, et species veluti hybrida videtur ex Chenopodio Stramonii folio et vulgatissimo, mox recensendo. Varietatem I. a Cl. LERCHE ad *Wolgam* fluuium lectam accepimus, quae ramositate racemorum facile a vulgari, pro qua D. LERCHE habuit, discernitur. Specimina transmissa pygmaea sunt, vnde forte aliena haec facies inducta est.

Varietatem II. prope *Krasnoiarium* vrbem in decliuibus montium locis obseruaui. Dura erat ei radix, tenuissima, simplex, duas tresue vncias recta descen-

descendens, tum per aliquot vncias transuersim repens, parum fibrosa, in exortu purpurea, reliqua albens. Caules vix erant palmares, humi procumbebant, et varie flectebantur, breuibus ramis stipati, qui caulium instar numeroso nigro semine foecundabantur, intra calicem ab initio virentem, tum amoeno et intense rubro tinctum, delitescente. Folia, qua parte terram tangunt, viridia, altera rubra, sedi vermiculati minoris foliis compararem, nisi essent paullo latiora. Mira est varietas, quam lubens pro singulari planta recensuissem, si vsquam eam inuenire licuisset, quam in indicato loco. Racemi, etsi parui sint, sunt tamen ramosi. Et quidem inter illas species, quae racemis obueniunt ramosis, hoc optime omnium referri videtur. Nec tamen Chenopodium betae folio prorsus excludo.

61. *CHENOPODIVM* foliis rhomboideo - triangulis, erosis, postice integris, summis oblongis, racemis erectis, LINN. *Suec.* 212. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 319. *n.* 6.

Atriplex sylvestris, folio sinuato, candicante, B. *pin.* 119.

Chenopodium folio sinuato, candicante, TOVRN. I. R. H. 506.

Chenopodium foliis inferioribus ouatis acutis, antrorsum dentatis, summis lanceolatis, LINN. *Cliff.* 85. ROY. *pr.* 219. HALL. *Helv.* 175. GRON. *Virg.* 145.

In

In omni *Sibiria* nusquam non obuium eſt, acceptiſſimum nobis ferculum, quod Spinaciae loco veris tempore coximus, licet incolae *Nertſchiae* vrbis maximo nos irriſui habuerint, quod fatuam herbam, annona exiſtente larga, cum appetentia comederimus. Quando enim annonae caritatem, quae apud incolas ab anno cIↃ IↃccxxx. ad xxxIII. vsque annum regnaverat, graphice delineare geſtiebant, hanc omnium ſummam miſeriam expoſuerunt, quod herba hac panis loco vesci coacti fuerint.

62. *CHENOPODIVM* foliis oblongis, dentato ſinuatis, racemis nudis multifidis, LINN. *Cliff.* 84. *Hort. Vpſ.* 55. *EI. Sp. pl. p.* 320. *n.* 9. ROY. *pr.* 219. HALL. *Helv. add.* 774.

Botrys, FVCHS. 179. DOD. *p.* 34. LOB. *ic.* 228.

Botrys ambroſioides folio ſinuato, TOVRN. I. R. H. 506.

Chenopodium botryoides, AMM. *plant.* HEINZELM. *mſt.* 302.

Chenopodium maius Tataricum, GERB. *Hort. ſicc.*

Nullam inter GERBERIANAM plantam et illam, quae in hortis ſub allegato nomine colitur, differentiam inuenio, niſi in magnitudine omnium partium, qua Tatarica ſpontanea ſatiuam ſuperat. Racemi etiam multo ramoſiores et maiores ſunt. Solum extremum caulis, quod vidi, cubitum fere ſuperat. Vix autem tertia totius plantae pars eſſe videtur.

In campis inferioribus *Iaici* fluuii a Cl. HEINZELMANNO lectum est.

63. *CHENOPODIVM* foliis ouatis integerrimis, caule decumbente, LINN. *vir. Cliff.* 21. *pr.* 218.
Chenopodium foliis integerrimis ouatis caule decumbente, cymis dichotomis aphyllis axillaribus, LINN. *Sp. pl.* 1. *pag.* 321. *n.* 15.
Blitum sylueſtre, CAM. *epit.* 237.
Polyſpemon CASSIANI BASSI ANGVILLARAE, LOB. *ic.* 256.
Blitum polyſpermum, B. *pin.* 118.
Blitum erectius ſ. tertium TRAGI, I. B. II. 967.
Chenopodium betae folio, TOVRN. I. R. H. 506.
Chenopodium foliis ouatis, LINN. *Cliff.* 28.
Chenopodium foliis integris, obtuſe acuminatis, racemis per caulem nudis, ramoſis, HALL. *Helv.* 176.

Nusquam non obuium eſt, caule decumbente et erecto.

64. *CHENOPODIVM* foliis ſubulatis, ſuperne planis, ſubtus conuexis, LINN. *Cliff.* 86. ACT. STOCKHOLM 1743. *p.* 107. *Suec.* 218.
Chenopodium foliis latis ſemicylindricis, *Sp. pl.* 1. *p.* 321. *n.* 17.
Kali minus album, ſemine ſplendente, B. *pin.* 289. MOR. *Hiſt. II. p.* 610. *S.* 5. *T.* 33. *f.* 3.

Blitum

Blitum Kali minus album dictum, RAI. *Syn. III.* 156.

Chenopodium sedi folio minimo, facie Kali, semine splendente, annuum, BOERH. *Lugdb. II. p.* 91.

Atriplex maritima humilior, folio angustiori et breuiori, STELL. *Irc.* 759.

In Regione salinis et lacubus salsis locisque salis veluti floribus aspersis abundante, vti fere est integra Sibiria, nusquam non obuium est, eique accidit, quod supra de salicornia conieci, vt iuuenis herbacea sit et parum ramosa, adultior fruticosa et ramosissima. Staminum numerum in partibus adeo minutis discernere difficile est; quoties tamen indagaui, quinarium numerum obseruasse mihi visus sum.

65. *CHENOPODIVM* foliis ex lineari lanceolatis, racemis coniugatis, dichotomis, nudis, apice setaceis. Tab. XV. fig. 1.

Chenopodium ceratoides humile hysopi folio, STELL. *Irc.* 763.

Chenopodium aristatum, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 321. *n.* 18.

Radix tenuis est, intorta et glabra, parum fibrosa, extra leuiter rubens, intus alba.

Caules fere quadrati, firmi et striati, palmares et dodantrales admodum, insensibilis fere lanae specie vestiti, intorti, dilute virides, raro rubri, in plurimos

mos ramos alternos ramulosque diuiduntur, valde in latum expanſos.

Folia ex lineari lanceolata ſine petioli interuentu ad ſingulorum ramorum ramulorumque exortum affiguntur, nullis venis diſtincta, laete viridia, in iis, quibus caulis rubet, ſaepe tota rubra, aut vna ſuperficie rubra, altera viridia, tandem ex vltimi folii ala duo ſemper ſurgunt racemi, longiſſime et ad finem vsque per dichotomiam diuiſi, vt tandem vltimae diviſiones ſetas referant.

Alis ſingularum diuiſionum, in quas abeunt racemi, inſidet ſemen e rotundo depreſſum, e fuſco nigricans, ſupra foueola exſculptum, quod calyce quinquefido, paſſim carnei coloris tinctura aſperſo, tanquam capſula inuoluitur. Stamina et piſtilla nihil recedunt a charactere generis.

Sub autumni tempore tota planta lichenis inſtar dura euadit, colorem palaceum induit, et rotundam formam contorquetur; quam faciem in ver vsque ſequentis anni retinet. Facile etiam tunc temporis radix e ventorum vi euellitur, et planta in campis huc illuc agitatur, et puerorum luſibus inſeruit, totam plantam capillamento comparantium, et dono ſibi inuicem donantium.

Iulio menſe circa *Ircutiam* vrbem et lacum *Baicalem* et in ſuperiori regione *Ieniſeae* fluuii floret, ſeminaque Auguſto maturat.

Icon plantam ad viuum ſiſtit. A. racemum ſingulariter expreſſum exhibet, vt diuiſiones apertius in oculos incurrant.

66. *SPINACIA* foliis triangularibus, ex ſinuato dentatis. Tab. XV. fig. 2.

Planta mihi incognita, STELL. *Irc.* 1152.

Inueni clɔlcxxxix. die ix. Septembris ad Kalem amnem *Krasnoiarenſis* territorii interitui proximam. STELLERVS pariter plantam iam prorſus emarcidam in locis ſalſis camporum *Konkurkinenſium* legit, nulla eius facta deſcriptione.

Eius tamen iconem ex planta, qualis tempore obſeruationis erat, fieri curaui, et cum in horto botanico Petropolitano e ſemine ſuccreſceret, opportunitas mihi nata eſt, eam penitus cognoſcendi et quicquid in deſcriptione deficeret, ſupplendi.

Caules cubitales ſunt et ſesquicubitales, in veteri planta, maturo ſemine onuſta, procumbentes, in iuniori et vegeta ſatis erecti, perquam ramoſi, ramis longis, ſaepe ſub angulo ſemirecto maiore exeuntibus, folia fere atriplicis ſatiuae, petiolata, craſſa et ſucculenta, ſubglauca, magis tamen infra, quam ex ſuperiori parte. Petioli vt et caules et rami in iuniori planta pulchre rubent, in adulta vero is color prorſus perit. Flores in ſpicas breues ſiue globulos arctiſſimos diſponuntur. Et maſculis quidem ſtamina ſunt quatuor, et interdum quinque, ex baſi corollulae quadripartitae, cuius laciniae minimae ſunt et ouatae, oriunda, antheris ſubrotundis, ſulco in duos partes diuiſis, inſtructa. In ipſa baſi corollae germinis veluti veſtigium eſt, ſub ſpecie puncti nigricantis. Femellae in eadem planta maſculis miſcentur, aut etiam inferius in alis

foliorum ſine maſculorum admixtione ſeſſiles ſunt, earumque calix incondite tribus, quatuor aut quinque dentibus, inter quos duo oppoſiti prae reliquis notabiles ſunt, terminatus, monophyllus. Germen cordatum, ſtilis duobus aliquanto reflexis ſimpliciſſimisque ſtigmatibus genituram recipit. Perianthium fructu ad maturitatem properante durum euadit, ſcabrum, ſubgloboſum, et appendiculis munitur, vti fere quidam tithymalorum fructus ſolent, atque duobus breuiſſimis corniculis terminatur, ſemen includens, propria membrana cinctum. Fructus hi nigricant, et micis veluti argenteis aſperguntur.

Icon ſummum plantae ramum exhibet.

67. *SPINACIA* foliis ex deltoideo ouatis, ſubſinuoſis, capſulis in orbem diſpoſitis. Tab. XVI.

Spinacia montana, alba, folio ſinuato, teſta ſeminis minore, aſperiuscula, candicante, MESS. AMM. *Ruth. n.* 247. *&c.*

Spinacia montana, folio leniter ſinuato, capſula ſeminis minore, aſperiuscula, nigricante, EI. AMM. *Ruth. n.* 248.

Spinacia fructibus pedunculatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1456. *n* 2.

Radix lignoſa eſt et albet. Caulis laeuis quadratus, firmus, cubitalis, mox ab exortu in longiſſimos ramos excurrit, ſe non breuiores. Folia caules et ramos veſtigunt non frequentia, talia fere, qualia ſunt Chenopodii betae folio TOVRN. craſſa et ſucculenta, quaedam ouata et vtroque extremo contracta, alia deltoidea,

toidea, et inter haec quaedem integra, alia ſinuata, ſatis viridia, in planta recens e terra protruſa obtuſe triangula, et laetiſſime viridia, petiolis fulta plus minus vncialibus, minora aliquanto in ramis et ſummo caule, quam per reliquam caulis regionem. Cauli e ramis paſſim per interualla adnaſcuntur capſulae e viridi fuſcae, immaturae virides et vti in priori ſpecie miculis argenteis nitentes, in circulam diſpoſitae, breviſſimis rigidis pedicellis haerentes, aliquanto ſcabrae, vno latere conuexae et ſecundum dorſum linea elata praeditae, altera plane duriusculae, ſiue craſſiuſculo tegmine conflatae, quaedam ſupra medium aut in medio aut paulo inferius ex vtroque latere vnico dente inſtructae, ſemine foetae fere lenticulari, vna parte aliquanto mucronato. Flores maſculi in globulis arcte conſtipatis, aut proxime ad femellas, aut in ſingularibus ſpiculis interruptis prodeunt. Eorum ſtructuram, cum dies eſſet obſcurus, aſſequi non potui, ad hoc genus autem retuli propter auctoritatem b. MESSERSCHMIDII.

Eodem loco, quo priorem plantam, ſalis floribus nobilitato obſeruaui. MESSERSCHMIDIVS ad *Dalai* lacum, tractum ſinenſem irrigantem, aliisque *Dauriae* locis nomen plantae conſignauit.

Icon ramum ex ſummis ſiſtit plantae, quae iam defloruit, ſeminibus nondum maturis.

63. *SALSOLA* foliis mollibus teretibus longiſſimis, ſpina terminante.

Salſola

Salsola herbacea patula, foliis inermibus, GVET. *Stamp.* 426. LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 323. *n.* 6.

Kali maius cochleato semine, B. *pin.* 289. TOVRN. I. R. H. 247.

Cali vulgare, I. B. *III.* 702.

Soda, Kali magnum, Sedi medii folio, semine cochleato, LOB. *ic.* 394.

Ad lacum salsum *Tustu Krasnoiarensis* tractus frequens erat, nusquam praeterea visum.

69. *SALSOLA* foliis rigidis pungentibus.

Tragon, MATTHIOLI LOB. *ic.* 797.

Kali spinosum cochleatum, B. *pin.* 289.

Tragus spinosus MATTHIOLI, *siue Kali spinosum*, I. B. *III.* 706.

Kali spinosum foliis longioribus et angustioribus, TOVRN. I. R. H. 247.

Salsola foliis pungentibus, LINN. *Cliff.* 86. *Suec.* 73.

Salsola herbacea decumbens foliis subulatis spinosis, calycibus marginatis axillaribus, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 322. *n.* 1.

j. Idem foliis breuioribus, Tab. XVII. fig. 1. et 2.

Ab

Ab *Ienisea* ad *Lenam* vsque fluuium et in *Transbaicalenses* regiones vsque, ad lacus et fontes salsos passim prouenit.

Varietas j. a Cl. LERCHE *Astrachania* ad me transmissa est, nihil sane diuersa, quam foliis aliquanto breuioribus. Aliam plantam Fig. 2. ad ripam elatam *Wolgae*, cui nigrae cognomen est, lectam, idem vir Cl. mecum communicauit sub nomine plantae ignotae semine vnico, capsulis bifariam hiantibus, quae a mox recensita varietate j. non differre videtur. Nullae quidem florum bracteae conspiciuntur, sed squamae tantum, et inter has semina membrana sua cincta. Videtur flosculos prorsus esse delapsos, et plantam esse valde adultam, aut quod verisimilius est, flosculos esse apetalos, quod de *Kali foliis Linariae tomentoso* BVXBAVMIVS Cent. I. p. 10. obseruasse videtur. Admodum profecto manca est harum plantarum historia, et multa emendatione opus habet. Reliquae autem plantae varietatis j. flosculos adhuc gerunt albidos, membranaceos, et supra quinque appendiculis auctos, quae medium floris claudunt, adeoque germen, quod in fundo floris delitescit, contegunt. Nihil similius est, quam haec planta camphoratae hirsutae. Pili tamen foliorum multo breuiores sunt, nec folia in summitate per fasciculos disposita, sed alterna.

70. *SALSOLA* caule fruticoso, foliis subulatis, hirsutis, floribus medium versus villosis. Tab. XVIII. fig. 1.

Radix auricularis, digiti craſſitie ad dimidium pedem in terram deſcendit. Caules multi, fragiles, cubitales admodum, aliquanto procumbentes, tenues, columbinae pennae craſſiitie, fruticoſi, ramoſi interdum, vt plurimum ſimplices, rubentes et virides, leuiſſime lanuginoſi, foliis alternis, prope radicem et paullo ſuperius paſſim faſciculatis, ſubulatis, craſſiuſculis, anguſtiſſimis, mollibus, vncia breuioribus, hirſutis veſtiuntur, in quorum alis ſinguli inſident floſculi elegantiſſimi, minores, in quinque lacinias ſecti obtuſas, herbaceas, membranaceas, ſtriisque violaceis pictas, in adulta planta fere fuſcas, leuiter fimbriatas, et medium verſus cartilagineas, piloſas, laciniola anguſtiſſima, filamentum referente, terminatas. In media corolla foramen eſt, per quod ſtilus aliquanto eminet. Poſterior pars floris membranacea pariter, in baſi imperuia, decemſtriata continet germen membrana propria euolutum, vnico gyro ciricumductum, cum maturitate fuſcum, quod in breuium candidorum pilorum ſubrotundo faſciculo et aliquot minimis foliolis deliteſcit. Ad ſtamina in planta viua non attendi. In ſicca diſcernere nequeo. Stilus vnicus, vltra medium bifidus, breuis.

Ab *Ieniſea* ad *Angaram* et regiones *Transbaicalenſes* vsque nusquam rara haec planta eſt.

Icon ſpecimen ſiſtit caule ſimplici ad viuum depictum inferiore eius parte et radice reſectis.

71. *SALSOLA*, caule fruticoſo, ramoſiſſimo, piloſiſſimo, foliis filiformibus, inermibus. Tab. XVIII. fig. 2. Totam

Totam plantae magnitudinem non noui. Surculi, quos a Cl. LERCHE communicatos accepi, vix dodrantales ſunt, et ſummae partes caulium eſſe videntur. Cortex caudicis albidus eſt, craſſities pennae columbinae. Rami copioſi, ſummae caulis partis inſtar hirſuti, ſub angulo ſemirecto egrediuntur. Folia fere linearia, ſubulata et fere filiformia, tres quadrantes vnciae et ſemiunciam et minus longa, viridia, hirſuta, caulium et ramorum inferiorem partem per faſciculos veſtiunt, in ſuperiore parte alterna ſunt, et plurima minima foliola includunt, flores ſtrictim cingentia. Ii autem et colore et magnitudine prioris ſpeciei flores referunt, niſi quod minus ſint patentes, et inferior pars, quae nidum praeſtat germini, plus contracta magisque globoſa, eo quod germen et ſemen altiora ſint, ſiue magis craſſa. Deinde in ſuperiore parte floris quinque tubercula in orbem diſponuntur, a quorum ſingulis bractea fere in planitiem exſtat anguſta, quae omnes in centro apicibus coeunt, et leviſſime tantum conniuent, vt partes ad fructus formationem pertinentes tegant, quarum ſtamina vix per rimam ſe aliquanto conſpicienda praebent.

In icone ad plantam ſiccam facta pictor pilos, in illa perquam euidentes, non expreſſit. Similem plantam poſſideo, in eodem loco lectam, multo humiliorem et obſcurius viridem, virgis dilutiſſime fuſcis, et minus ramoſis. Sed differentias alias detegere non licuit.

Sollertiſſimus D. LERCHE iuxta *Gorkam* fluvium collegit, famoſum propter necem equorum, quam patiuntur ibi paſcentes, vel ab herba, iis infeſta, vel a regione, vel ab aquis. Nondum enim cauſa in aprico poſita eſt. Fiscellis tamen equi capiſtrantur, hacque cautione capta minorem ſtragem patiuntur, id quod ſuſpicionem exhibet, a pabulo noxam hanc contingere. Sed in diuerſas abeunt ſententias Tatari, de herba ipſa adeo infeſta, mox hanc, mox illam incuſantes. Sic etiam hanc, quam deſcripſimus, nociuis accenſent, quod vix veriſimile eſt. Cl. SIEGESBECKIVS putat, lethalem hanc vim non vni, ſed omnibus tribuendam eſſe plantis, qua de re iudicium noſtrum ſuſpendimus. Hoc certum eſſe dicunt, omnes ibi natas plantas ſalſas eſſe cum coniuncta amaritudine, quod facile a terra ſalſa, bituminis vena imbuta, aut ab aquis, eiusmodi venas perfluentibus et regionem humectantibus, deriuari poterit. An vero ſal bitumine conſpurcatum equos interimat, bouibus, camelis et ouibus non noceat, vti in hoc tractu obſeruatur, experimentis non euictum eſt? De cicuta aquatica res eſt notiſſima, quod eiusmodi facultate polleat. Cl. tamen LERCHE, qui plantas huius tractus multo cum ſtudio collegit, nullam cicutae ſimilem inuenit, forte quod tunc temporis, cum ibi peregrinaretur, herba vix e terra progerminaſſet. Vid. Cl. SIEGESB. primit. florae Petrop. p. 16. in nota ad *Atriplicem maritimam albam fruteſcentem foliis anguloſis incanis*, vbi plura ad ſitum huius regionis ſpectantia recenſet.

2. *SALSOLA* caule fruticoſo ramoſiſſimo, glaberrimo, foliis filiformibus, breuiſſimis Tab. XIX. fig. 1.

? *Kali orientale capillaceo folio flore purpuraſcente*, TOVRN. *Cor.* 18.

? *Kali fruticoſum, toto anno folia retinens*, BVXB. *Cent.* 1. *p.* 7. Tab. XI. fig. 11.

? *Salſola foliis filiformibus, inermibus, mucronatis, caule ramoſiſſimo*, LINN. *Vpſ.* 56. *n.* 2.

Si flores plantae BVXBAVMIANAE quadrifidi ſunt, vt ab auctore ſcribitur, noſtra eſſe nequit. Virga eius, quam a Cl. LERCHE transmiſſam accepi, columbinae pennae craſſitiem obtinet, longitudinem vix dodrantis, et cute albida ſiue pallidiſſime lutea tecta eſt. Ramuli perquam tenues ſunt, alterni, lignoſi, nonnunquam hinc inde flexi, ſaepe recti, ſub angulo tamen acuto egredientes, parum a caulis extremo deficientes, in extremo acuti, vt floribus et foliis delapſis veluti ſpinoſi appareant. Hi breuiores ſubinde ſundunt, acutos pariter, plurimam tamen partem ſimplices ſunt. D. D. LERCHE plantam altiſſimam eſſe ſcribit, caulemque fuſco colore exornatum.

Foliola plura paſſim ſimul, paſſim etiam alternatim nata, inferiora vix ſemiuncialia, ſubulata, ſuperiora breuiora. Flores parui ſunt, quinquefidi, laciniis ouatis, viridibus, et margine membranaceo inſtructis, aliquando concauis, appendiculisque centrum

verſus, vti in prioribus ſpeciebus, concurrentibus et conniuentibus, auctis, poſterius autem, vbi germen ſedem habet, patellae inſtar cauis, pro more non perforatis, ſed ibidem foliolis exiguis, quorum quaedam ſquamas concauas referunt, comprehenſis. Hi ramos in ſpica laxa et fere interrupta, non raro tamen, imprimis extrema ramulorum verſus, adeo arcta veſtiunt, vt prorſus ab iis obtegantur. Stilus breuis eſt, et ſimplex mihi eſſe videtur, ſimplici etiam ſtigmate inſtructus.

Semen propria membrana obuelatum, vnicum, paruum, nigrum, cochleae inſtar torquetur.

Naſcitur in locis exaridis circa *Aſtrachaniam* et ad *Gorkam* fluuium.

De icone nihil habeo monendum, niſi quod ad ſiccam plantam exarata ſit.

73. *SALSOLA* foliis linearibus, verticillatis, inferioribus obtuſis, ſuperioribus acutis, caule lacinioſo. Tab. XIX. Fig. 2.

? *Kali vermiculatum Hiſpanicum incanum fruticans*, BARR. ic. 205.

? *Kali foliis linariae tomentoſum*, BVXB. *cent.* 1. *p.* 10. *Tab. XVI.*

A Cel. LERCHE in regione *Aſtrachaniae* vrbis in primo ipſius itinere collecta eſt planta, inter chartas fere prorſus nigra, addito monito, quod planta ſalſa

ſalſa ſit. Laciniolae albidae caulem hirſutum faciunt, fere vti in aliquot polypodii ſpeciebus contingit, magis tamen iis in locis copioſae ſunt, quae verticillis foliorum proxima ſunt. Semen cochleatum eſt, de reliquo charactere mihi non conſtat, cum BVXBAVMIANA autem icone noſtra planta ex aſſe conuenit. Noſtra icon ad plantam ſiccam facta eſt, in qua tamen de laciniolis nihil pictor expreſſit.

74. *SALSOLA* foliis linearibus, alternis, caule lanuginoſo, ramis parallelis. Tab. XX. Fig. 1.

? *Kali vermiculatum fruticans, minori folio, Hiſpanicum* BARR. *ic.* 216.

Planta ad duos dodrantes alta eſt, erecta, atque radice lignoſa gaudet, perquam tenui, rigida tamen, triunciali circiter, fibris longiusculis, aliquoties ſubdiviſis, aucta. Caulis pariter lignoſus eſt, pennae columbinae craſſitie, ad vnam tertiam altitudinis partem luteolus et ſparſa ſordideque albida lanugine veſtitus, hinc totus lanuginoſus, ramulos emittens vnciales, biunciales, palmares, lanuginoſos, cauli fere appreſſos, ſiue ei parallelos, foliis caulis inſtar ſtipatos ſucculentis, erectis, aut ad caulem inclinatis, primo hirſutis, poſtea fere nudis, ſemiuncialibus aut minoribus Corpuscula intermiſcentur albida, turgidula, leuiter compreſſa, in quibus nihil diſtincti discernere licuit, niſi in ſingulis ſingula ſemina cochleata, membrana eiusmodi inuoluta, vti in hoc genere ſolenne eſt. Nullum adeſt florum veſtigium, ſaltem talium, qualibus

hoc

hoc genus ſuperbire ſolet. Forte plures huius generis ſpecies dantur, floribus apetalis praeditae, quo ſupra iam coniectura ducti ſumus.

Icon ad plantam ſiccam diligentiſſime facta eſt.

Vir Illuſtris, D. Ribeiro SANCHEZ, cum apud exercitum Ruſſicum medici primarii munere fungeretur, ad *Tanaim* fluuium collegit, et pro inſigni ſuo fauore nobiscum communicauit.

75. *SALSOLA* foliis ternis, floribus ſubſtratis, ex conico ſubulatis, flores aequantibus.

Kali humile, alis purpureis, florem roſaceum mentientibus, BVXB. *Cent.* 1. *p.* 9. *Tab. XIV. Fig.* 2.

Salſola foliis conico-ſubulatis mucronatis, calycibus corolliformibus, obtuſis coloratis crenatis, LINN. *Vpſ.* 56. *n.* 1.

Salſola herbacea, foliis ſubulatis mucronatis, calycibus explanatis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 323. *n.* 3.

D D. LERCHE fruticulum deſcribit a dimidio ad vnum pedem longum.

Folia craſſa ſunt, teretia, apice acuta, pleraque, vt mihi videtur, apice infra flexa, fere ad acinacis formam, tria ſingulis floribus ſubiecta, quos longitudine aequant, interdum etiam iis aliquando longiora

giora ſunt. Virgae in planta ſicca ex albido luteae, quas D. LERCHE in recenti rubras, craſſas et ſucculentas eſſe dicit.

Flores plurimi ſecundum ramos exeunt. Petalum patellam operculatam referens ſupra in tres bracteas latas et duo oblongas anguſtas deſinit, quorum ſingulis ad baſin ſingula adnaſcuntur tubercula cartilaginea, lunata, plana, in totidem lacinias lanceolatas membranaceas, vna conum efformantes, conniuentes, et fructum partesque incluſas tegentes, terminata, infra coecum eſt, et a foliis iam deſcriptis comprehenſum iisque floris tempore leuiter agglutinatum, facile deciduum, intra quod germen latet, propria membrana inuolutum, orbiculare, ſtylo breui, duplici, nigro, inſtructum, qui in membrana germen involuente terminari videtur; illa enim ablata ſtylus etiam aufertur. Stamina Cl. LERCHE nulla eſſe dicit. Nec nobis in ſicca planta inquirentibus ſimile quid apparuit. Viſa nobis ſunt quaedam corpuſcula, ſtaminibus analoga, ex ipſa membrana, germen inveſtiente, oriri, ſtilumque circumſtare, nihil autem certi affirmamus, cum in rebus viſum fere fugientibus, facilis ſit fallacia, et certius de hoc iudicium merito illis relinquendum ſit, quibus occaſio eſt, plantam viuam inſpiciendi. Semen magnum eſt, aliquot gyris circumuolutum.

Ex *Gorka* fluuio ad nos transmiſit eximius LERCHE, nosque in *Transbaicalenſibus* regionibus ali-

quoties vidimus. GERBERVS etiam inter plantas ſuas ſiccas habuit, vbi vero collegerit, non commemoratum eſt.

76. *SALSOLA* foliis ternis, floribus ſubſtratis, teretiusculis, ouatis, flore breuioribus.

Kali fruticoſum, Ericae folio BVXB. *Cent.* 1. *p.* 8. *Tab. XIV. Fig.* 1.

Multa huic cum praecedenti planta ſimilitudo intercedit, differt autem praecipue floribus candidis, caules et ramos prorſus obtegentibus et foliolis multo breuioribus, apiceque obtuſis. In maiorem etiam altitudinem excreſcit, vtpote ad duorum pedum, quin ad duarum triumue vlnarum altitudinem nonnunquam ſurgens. Ramuli tenues, longi, non admodum frequentes ſunt, et floribus, vti iam dictum eſt, toti fere teguntur. Caulis infra niger, ſuperiori parte in ſicca planta eundem colorem obtinet, quam inferior.

Folia oblonge ouata ſunt, teretia, breuia, laete et ex luteo viridia, tria ſemper floribus ſingulis ſubſtrata, quibus conſpicue breuiora ſunt, licet flores magnitudine notabiliter minores ſint, quam flores praecedentis ſpeciei. Structura floris prorſus eadem eſt, quae in praecedenti planta. Neque enim vel in hoc ſtamina detexit ſollertiſſimus LERCHE. Semen quam in priori planta paullo minus, rotundum compreſſum, aliquot gyris circumuolutum. Stilus a Cl. LERCHE ſimplex deſcribitur, mihi in ſicca planta bifidus viſus eſt.

Iisdem

Iisdem in locis ad *Gorkam* fluuium lectam Cl. LERCHE ad me misit.

77. *SALSOLA* foliis apice incrassatis, obtusis, supra planis, infra conuexis.

Anabasis foliis subclauatis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 325. *n.* 3.

Kali bacciferum foliis clauatis, BVXB. *Cent.* 1. *p.* 12. *Tab. XIX. Fig.* 1.

I. Idem ramosissimum et veluti crispum, foliis minimis, passim candidis miculis asperſis, Tab. XXI. Fig. 1.

II. Idem granulosum, Tab. XXI. Fig. 2.

Variat ramositate caulis maiore aut minore, nec facile semipedem altitudine superat. Folia succulenta, D. LERCHE alterna, BVXBAVMIVS terna simul iuncta describit, quorum duo lateralia sint minora. Quantum ex inspectione siccae plantae diiudicare licet, vtrumque obseruatur. Haec vel singularia, vel terna sex, septem et decem cinguntur flosculis, quorum singuli supra desinunt in perianthium quinquefidum, viride, succulentum, persistens, laciniis ouatis, obtusis, conflatum, infra autem germen condunt conicum, viride. Filamenta quinque, laciniis perianthii inserta eoque longiora, antheris instruuntur incumbentibus, rubicundis. Stili duo reflexi, rubicundi, floribus adhuc dum clausis ex perianthio eminent. Germen tandem in semen excrescit vnicum, nigrum, cochleatum. De bacca insequente silet D. LERCHE, etiam BVXBAVMIVS nihil de illa proponit, vt idea

eius distincta haberi possit. Forte D. LERCHE plantam vidit iuuenem, et perianthium vt in chenopodio calicibus baccatis, paullatim succosius fit, et in corpusculum baccatum concrescit.

D. LERCHE ex *Astrachania* transmisit, nos etiam in *Transbaicalensibus* regionibus obseruauimus.

In varietate I. virgae magis fuscae sunt, et tota planta morbosa esse videtur, quam Cl. LERCHE in tractu camporum sterilium *Astrachanensium* ad saepe iam nominatum *Gorkam* siue *amarum* fluuium, quadraginta leucas ab arce *Kislar* distantem, collegit, et a tataris accepit, venenosam et equis infensam esse. Semipede humiliorem plantam esse dicit, coloris obscure viridis, saporis salsissimi et amari, foliis minimis copiosissimis vestiri, quae forma et magnitudine gaudeant ouorum formicarum maiorum; mihi satis similia visa sunt foliis plantae recensitae, quare etiam huc retuli.

Varietas II. in eodem tractu lecta est, cui a Tataris eadem facultas quae priori tribuitur. Cauliculi ex cinereo fusci sunt, ramosissimi. Rami autem secundarii, qui in planta naturali foliis floribusque onusti, hic tuberculis viridibus toti obsiti sunt, quorum fere singulis in medio tuberculum, magnitudinis capitis aciculae, candidissimum, tophaceum inest. Passim etiam, paucis in locis, lanuginis species comparet, quae tempore, quo planta collecta est, vermiculum album continebat. Fructus autem aut florum et foliorum nullum vestigium adest.

Ad

Ad ſcrupulum de ſpecie eximendum varietates ad ſiccas plantas delineari curaui. BVXBAVMII autem icon habitum plantae ſatis bene exprimit.

78. *SALSOLA* baccifera, Salicorniae facie, BVXB. Cent. 1. p. 11. Tab. XVIII.

Anabaſis aphylla articulis emarginatis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 325. *n.* 2.

? *Cali Arabum aliud*, I. B. III. 704.

? *Cali geniculatum aphyllanthes giluis paleaceisque flosculis Hiſp.*, BARR. *ic.* 215.

Altitudo plantae dimidiam vlnam aequat, ipſa vero planta melius Ephedrae quam Salicorniae comparatur. Rami et qui ex illis oriuntur ramuli, ſemper bini ſunt oppoſiti, articulationes autem, quae in ipſis obſeruantur, per gomphoſin fiunt, vt in inferiorem partem aliquanto excauatam ſuperior paullo producta infigatur. Perianthium trifidum eſt, et laciniae albae, membranaceae. Filamenta quinque ſunt, cum antheris didymis; germen conicum in piſtillum, ſtaminibus aeque longum, excreſcit, cuius duo ſunt ſtigmata, vix armato oculo diſtinguenda. Situm ſtaminum Cl. LERCHE non deſcripſit, nec baccae naturam. Certum autem eſt, ſiue plantam ad mere ſtamineas referas, ſiue ad eas, quae perianthio inſtructae ſunt, quod durum eſſet, eſſe plantam ſui generis et a Kali ſeparandam; Donec autem certiorem characteris cognitionem nanciſcar, remouere eam nolui.

In locis exaridis circa *Astrachaniam* nascitur, vnde a Cl. LERCHE ad me transmissa est, mense Augusto florens.

(Ergo iam B. Auctor agnouit, binas has mox enumeratas Salsolae species anomalas esse, atque a Kali separandas, vt adeo LINNAEVS rectissime nouum inde genus cuderit.)

79. *PHARNACEVM* vmbellis simplicissimis. Tab. XX. Fig. 2.

Alsine pumila, gallii facie, foliis glaucis, AMM. *Ruth. p.* 64. *n.* 84.

Pharnaceum Ceruina, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 388. *n.* 1.

Cauliculi et ramuli et pedunculi tam communes quam particulares inferiori extremo tuberosi sunt. Cauliculi porro simplices interdum, saepe ramosi, palmares, raro longiores, tribus et quatuor geniculis praediti, quorum inferius duas fere vncias a radice distat, reliqua quo superiora, eo sibi inuicem propiora sunt. Folia ex inferiori geniculo decem et quatuordecim prodeunt linearia, sessilia, glauca, laeuia, mucrone valde obtuso terminata, crassiuscula, plana. Horum quinque plerumque vncia longiora, radicalibus simillima, extra disponuntur, reliqua, quo interiora, eo breuiora sunt Secundum geniculum folia quinque inaequalis longitudinis spargit, interque illa etiam quaedam, vncia longiora, quorum alis per pauca breuiora insident. In superioribus geniculis numerus paullatim diminuitur.

Ramuli vnus aut duo ex infimo aut ex duobus infimis geniculis oriuntur, caule tenuiores, biunciales,

ciales, extremitatem versus vnico plerumque geniculo distincti, quod tot circiter foliis eiusdemque longitudinis cingitur, quot in extremo caulis conspiciuntur.

Pedunculi vel ex omnibus geniculis caulium et ramorum, vel ex duobus tantum tribusue superioribus caulium et ex geniculo rami oriuntur, plerumque solitarii, tenuissimi, sub angulo obtuso, aut recto, aut acuto, infimi foliorum longitudine, superiori minores, in extremitate sex plerumque minimis et vix conspicuis foliolis praediti, e quorum alis tres plerumque pedunculi particulares, inter quos medius lateralibus breuior, longissimi vix dimidium pedunculi communis attingentes, sub angulo recto aut parum minori prodeunt, singuli in extremitate flore onusti.

Flores monoperianthi, perpetuo clausi sunt. Perianthium quinis foliolis formatum, extra ad latera et in apice, intra totis albis, cetera viridibus, oblongis cauis, arcte se amplexantibus fructu increscente turgidius fit, et quum petala tunc magis incuruentur, lateribusque recedant, obtuse pentagonum, quo tempore valuae fructus aperiuntur, vt per conniuentia perianthii foliola semina aliqualiter in conspectum prodeant. Ipse autem fructus obtuse trigonus est, triualuis, singulis valuis sulco per mediam longitudinem exaratis, semine copiosissimo refertis, nitente, dilute fusco, rotundo, et aliquantum compresso.

Omnia reliqua exacte conueniunt characteri generico Cl. LINNAEI, et descriptioni b. AMMANI.

Phar-

Pharnaceum pedunculis communibus longissimis LINN. *Cliff.* 492 vel sola villositate communiumque pedunculorum longitudine et vmbellis magis compositis differt. Alsine procumbens Gallii facie Africana, HERM. LVGDB 19. cum ic. perquam similis est, sed multo ramosior, et latioribus foliis praedita, et pedunculis plerumque simplicibus pluribusque simul, quum in nostra planta vmbellatim diuidantur, et solitarii sint.

In icone nostra planta ad viuum picta flosculus vnus vi deductus est, et ad latus appositus, vt stamina in conspectum prodeant.

In campis sterilibus orientalibus ad *Irtim* fluuium inter arces *Iamischewensem* et septem palatiorum magna frequentia occurrit.

80. *CANNABIS* foliis digitatis, LINN. *Cliff.* 457. *EI. Sp. pl.* 2. *p.* 1457. ROY. *pr* 221.

Cannabis sterilis et foecunda, DOD. *pempt.* 535.

Cannabis mas et foemina, I. B. *III.* 447.

Cannabis erratica et satiua, B. *pin.* 320.

In *Ircutensi* prouincia ad tuguria *Buraetorum* et in *Isetensi* apud *Krasnoiarenses* Tataros saepe vidi, sed valde macram, superioribusque foliis tantum trifidis. Gentes hae cannabin non serunt, nec suae nec aliarum rerum culturae studiosae, quare fere credo, sponte apud ipsos prouenire, nisi forte casu a Russis semina allata sint.

Russice Канаплїо (Kanaplio) dicitur.

81.

81. *HVMVLVS*, LINN. *Cliff* 458. *EI. Sp pl.* 2. *p.* 1457. ROY. *pr.* 222. Lupulus, HALL. *Helv.* 166. et omnium auct.

Per omnem *Sibiriam* ad *Alàanum* vsque fluuium in locis non nimium frigidis nascitur, saepe in sexagesimum secundum vsque gradum latitudinis borealis, quare etiam cereuisia lupulata nusqum deficit.

Russice хмель (chmiel) dicitur.

82. *VLMVS* humilis, GMEL. AMM. *Ruth.* p. 180. n. 260.

Vlmus foliis aequaliter serratis, basi aequalibus, LINN. *Sp.* 1. *p.* 327. *n.* 3.

I. Caulibus erectis.

II. Caulibus procumbentibus.

De differentiis specificis, in Flora Virginica allegatis, certus non sum. Serraturae foliorum simpliciores sunt. Annon vero id a minori statura repeti poterit? Fructus immaturi in *Europaea* saepe eodem modo pubescunt, nec minus diuisi sunt, quam in *Sibirica*. De pistillo obseruationem non cepi. An forte *Sibirica* differt a Virginica? Cl. LINNAEVS, ad quem siccam plantam transmisi, perscripsit, eadem esse, (postea vero ipse differentiam agnouit). Mihi videtur ab vlmo vulgari, quae nusquam in *Sibiria* conspicitur, omnium partium paruitate differre.

In *Transbaicalensibus* regionibus vbique occurrit, ad fluuios quidem semper erecta, in montibus aridis procumbens.

83. *RHAMNVS* ſpinis terminatricibus, floribus quadrifidis dioicis, LINN. *Vir.* 19. *h. Cliff.* 70. *Suec.* 193. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 279. *n.* 1. ROY. *pr.* 224.

Spina infectoria, MATTH. *p.* 158. CAMER. *epit. p.* 82. LOB. *ic. II. p.* 181.

Rhamnus ſolutiuus, DOD. *pempt. p.* 756.

Rhamnus catharcticus, C. B. P. 478. I. B. *I. p. II. p.* 55. TOVRN. I. R. H. 593.

Cerui ſpina Riuini et Cordi RVPP. *ien. p.* 74.

Cornus foliis citri anguſtioribus, GMEL. AMM. *Ruth. p.* 200. *n.* 278. *Tab. XXXIII.*

Rhamnus ſpinoſus, *foliis ouatis*, *acuminatis*, *ſerratis*, HALL. *Helv. p.* 163.

Deſcriptio baccarum, quae in AMMANI libro, tumultuarie congeſto, exſtat, veritati minus congrua eſt; baccae enim tribus et quatuor ſeminibus calloſis foetae ſunt, vno nimirum ſaepe abortum patiente.

Prouenit paſſim per *Sibiriam*, raro tamen, in *Argunenſi* quidem tractu plerumque ad fluuios, in *Iſetenſi* prouincia in editis montoſis locis.

Ruſſice ad *Argunam* fluuium propter rationes; in AMMANIANO opere explicatas, *Santal* dicitur.

84. *RHAMNVS* floribus trigynis, aculeis geminatis, altero inferiore reflexo, LINN. *Cliff.* 69. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 281. *n.* 12. ROY. *pr.* 224.

Pali-

Paliurus, DOD. *pempt.* 756. TOVRN. I. R. H. 616.
Rhamnus folio subrotundo, fructu compresso, B. *pin.* 477.
Rhamnus siue paliurus folio iuiubino, I. B. 1. 35.

Ad littora maris *Caspii* frequentem obseruauit D. LERCHE eiusque ramulos nobiscum communicauit.

85. *RHAMNVS* frangula, LINN. *Sp. pl.* 1, *p.* 280. *n.* 5.
Frangula, MATTH. *p.* 1271. CAM. *Epit. p.* 978. TOVRN. I. R. H. 612.
Alnus nigra baccifera, C. B. P. 428. I. B. 1. *p.* 1. *p.* 560.
Rhamnus inermis foliis annuis, LIN. *Lapp.* 60.
Rhamnus inermis floribus monogynis hermaphroditis, LINN. *Cliff. p.* 70, *Suec.* 194. ROY. *pr.* 224.

In omni *Sibiria* in locis paludosis nascitur.

Russis Крушина dicitur. Incolae ad *Iaiam* fluvium, in *Tomum* influentem, mutuato a Tataris nomine Сабачьи ягоды (baccae Canum) vocant.

86. *MENISPERMVM* foliis peltatis angulosis, LIN. *h. Cliff.* 140. *Suec.* 91. ROY. *pr.* 228. GRON. *Virg.* 153.

Menispermum Canadense scandens, vmbilicato folio, TOVRN. *act.* 1705. *p.* 311. DILL. *gen.* 150.

Hedera monophyllos, conuoluuli foliis, virginiana, PLVCK. *Alm.* 181. *t.* 36. *f.* 2.

Hedera Virgiana Clematis facie, radice flauescente, HERM. *Lugdb.* 306.

Cissampelos siue Malaccocissos Rupp. IEN. *ed.* HALL. *p.* 67.

Tamnoides, MESS. *Diar. Mst.*

Tamnoides scandens altissimum, folio vmbilicato, angulosо, semine alato, STELL. *Irc.* 27.

Radix teres lignosa, extra fusca, nitens, intus alba, multis fibris stipata, cygneae pennae crassitie, longissime serpit, per duas scilicet et tres vlnas.

Caules duo ad quinque super terram repunt, vel si aliquod fulcrum, arborem aut fruticem nacti fuerint, scandunt illisque et sibi inuicem mutuo circumuoluntur, propter infirmitatem suam proprio onere se sustinere nescii, teretes glabri, nitentes, pallide virides aut rubentes, superiora versus plerumque intense rubri, vbi et multo tenuiores sunt, quam inferius, sesquicubitales, bicubitales et saepe ad humanam altitudinem assurgentes, aliquot vncias ab extremo ad finem vsque nudi et acuto mucrone terminati.

Folia quam plurima diuersae magnitudinis, ad modum conuoluuli maioris, per ipsos caules luxuriant; inferiora petiolis triuncialibus insidentia, amplissima, quo

quo ſuperiora ſiue longius a radice remota, eo minora et breuius petiolata, vt tandem in apice minima ſint. Sunt autem glabra, intenſe viridia, aceris foliorum more anguloſa, infra non nihil albicantia, peltata, ita, vt petiolus non ad oram, ſed aliquot lineas ab ora in ſexta circiter parte totius folii longitudinis, ad quam omnes folii venae concurrunt, in ipſum folium inſeruatur, quod veluti pertundere videtur. Summa autem folia, quae minima eſſe dixi, fere triangula ſunt.

Ex alis foliorum ſiue petiolorum pedunculi enaſcuntur, verno tempore ſemiunciales, floribus racematim diſpoſitis onuſti, in inferioribus pedunculis quinque vel ſex, ſuperiora verſus paullatim paucioribus, monopetalis, campaniformibus, tintinnabuli in modum patentibus, vnam circiter lineam latis, multifidis, pendulis, e viridi albicantibus, copioſis intus ſtaminibus foetis, quorum antherae flauae ſunt. Piſtillum STELLERVS non deſcribit, qui ſolam florentem plantam in montoſis locis *Ircutiae* vrbis ad *Angaram* fluuium e regione pagi *Schilcinae* vt et prope pagum, paruam *Roswodnaiam*, ſub finem Maii obſeruauit. Nobis vero eandem plantam in ſuperiori regione *Ieniſeae* fluuii ex aduerſo *Saianenſis* arcis et in vallibus montoſis eius regionis fere ſub medium demum Septembris fructu maturo onuſtam obſeruare licuit. Pedunculi erant rubentes, vnciales et biunciales, atque extremum verſus in plures, eodem modo rubentes, ſubdiuidebantur, quorum ſingulorum extremitatibus bacca haerebat obſcure caerulea, maiuſcula, rotunda, glutinoſo ſucco rubentis

coloris abundas, osſiculum condens lutei coloris, lunae cornutae ſiue potius ſoleae equinae effigie, tribus exſtantibus ſimbriatis marginibus inſtructum, et ſemine foetum albo eiusdem formae, per dorſum pariter ſimbriato.

B. MESSERSCHMIDIVS in iisdem fere locis plantam obſeruauit, in quibus nos, ſcilicet in vallibus *Dabuthi* fluuii.

87. *RVMEX* floribus dioicis, foliis lanceolato-haſtatis, LINN. *Lapp.* 131. *virid. h.* 32. *Cliff.* 139. *Suec.* 296. *El. Spl. pl.* 1. *p.* 481. *n.* 25. ROY. *pr.* 231.

Oxalis ſiue acetoſa minor, MATTH. *p.* 448.

Oxalis minor, CAM. *Epit. p.* 231.

Oxalis tenuifolia ſinuata veruecina, LOB. *ic. p.* 291.

Acetoſa aruenſis lanceolata, C. B. P. 114.

Oxalis parua auriculata repens, I. B. *II. p.* 992.

Acetoſa anguſtifolia lanceolata elatior, MOR. *Ox. II.* 583.

Lapathum acetoſum, ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis longis et diuergentibus, HALL. *Helv.* 168.

1. *Caulis repentibus.*

Acetoſa lanceolata anguſtifolia repens, C. B. *Pr. p.* 55.

2. *Foliis aut omnibus aut plerisque minime hamatis.*

Acetoſa aruenſis minima non lanceolata, C. B. P. 114. TOVRN. I. R. H. 503. Cum

Cum varietatibus recenſitis in omni *Sibiria* frequentiſſime occurrit.

88. *RVMEX* floribus dioicis, foliis oblongo-ſagittatis, LINN. *Vir.* 32. *Lapp.* 130. *Cliff.* 139. *Suec.* 295. *EI. Sp. pl.* 1. *p.* 481. *n.* 24. ROY. *pr.* 231.

Oxalis ſ. acetoſa, MATTH. *p.* 447.

Oxalis, DOD. *pempt. p.* 648.

Oxalis ſ. Lapathum oxalida, acetoſa, LOB. *ic. p.* 290. *ex.* DOD.

Oxalis maior, CAM. *Epit. p.* 230.

Acetoſa pratenſis, C. B. P. 114. TOVRN. I. R. H. 502.

Oxalis vulgaris folio longo, I. B. II. 989.

Lapathum acetoſum, ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis breuibus, HALL. *Helv. p.* 168.

α) *Oxalis criſpa*, TAB. *p.* 440. I. B. II. 990.

Acetoſa foliis criſpis, C. B. P. 114. TOVRN. I. R. H. 502.

Cum multis, leuioris tamen momenti, varietatibus, nusquam non in *Kamtſchatkam* vsque obuia eſt. Varietas α) in paſcuis *Kirengae* ad *Lenam* fluuium frequens eſt.

89. *RVMEX* floribus hermaphroditis digynis, LINN. *Cliff.* 138. *Suec.* 294. *Sp. pl.* 1. *p.* 460. *n.* 21. ROY. *pr.* 230.

Acetoſa

Acetosa rotundifolia, C. B. P. 55. *Pr. p.* 114. STELL. *Irc.* 750.

Acetosa rotundifolia, repens, Eboracensis, folio in medio deliquium patiente, MOR. *Ox. II. p.* 583. *f.* 5. *Tab.* 36. *f. penult.*

Acetosa repens Westmorlandica cochleariae folio, apicibus non nihil sinuatis, PLVK. *Alm. p.* 8. PHYTOGR. *Tab. CCLII. f.* 2.

Rumex foliis orbiculatis emarginatis, LINN. *Lapp.* 132.

Lapathum acetosum, androgynum, folio orbiculari emarginato, HALL. *Helv.* 170.

STELLERVS ad fontes *Bannoi* riui, viginti stadia a *Bargusinensi* munimento sub niue reperit, in itinere vero *Ochotensi* ab *Amga* ad *Ochotum* vsque fluvium in locis montosis passim obseruauit, quae pedalis et altior est, saltem Helueticam altitudine multum excedit.

90. *RVMEX* floribus hermaphroditis, valuulis integerrimis, planis, LINN. *Cliff.* 138. foliis cordato-lanceolatis, *El. Suec.* 292.

Rumex floribus hermaphroditis, valuulis integris graniferis, foliis lanceolatis, vndulatis, acutis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 476. *n.* 3.

Lapathum folio acuto crispo, B. *pin.* 115.

Lapathum acutum crispum, TAB. *p.* 436.

I.

I. Idem caulibus colore rubro ſaturiori tinctis.

II. Idem totus ruber.

III. *Lapathum aquaticum*, *folio cubitali*, B. *pin.* 116.
Herba Britannica vera Munt. brit. t. 1.

IV. *Lapathum aquaticum minus*, C. B. *Baſil. p.* 32. I. B. II. 987. TOVRN. I. R. H. 504. HALL. *Helv.* 171.

V. *Lapathum androgynum obtuſifolium*, *ſpica confertiſſima*, HALL. *Helv.* 170.
Lapathum folio rotundo alpinum, I. B. II. *p.* 987. STELL. *Irc.* 755.
Lapathum hortenſe rotundifolium ſiue montanum, C. B. P. 115.
? *Acetoſa montana*, *folio cubitali*, *oblongatiore*, *criſpo*, *floribus in ſub viridi luteolis*, MESS. AM. *deſcr. n.* 226.
Rumex (*alpinus*) *floribus hermaphroditis ſterilibus femineisque valuulis integerrimis nudis*, *foliis cordatis obtuſis rugoſis*, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 480. *n.* 22.

In omni *Sibiria* naſcitur, foliis multum varians, quae nonnunquam cubitalia ſunt, eademque oris planis aut criſpis, ad pedunculi inſertionem integris aut exſciſſis. Ipſa etiam ſtatura eximie variat, prouti locum natalem nactus eſt. Varietatis II. cuius caules et

 folia

folia pulchre rubebant, etiam valuulae feminales rubenti tinctura aspersae erant. Radix intus colore flauo saturiori tincta erat. Varietatis V. radix Russice nomine черенковой ревень dicitur, quia rhabarbaro radix similis est, sed non illius instar ampla occurrit, licet nonnunquam inueniantur radices, ad decem libras pendentes. Attamen in longitudinem potius quam in latitudinem crescunt, quare manubriis cultellorum, quae черень (tscheren) vocant, comparant et hinc epitheton addunt. Radix recens saepe admodum pallida, luto tamen colore imbuta est, vbi vero costae foliorum intense rubrae sunt, quod saepissime fit et notam exhibet optimae radicis, in illis plantis etiam recentibus radix egregie flaua est. Caules profunde striati sunt, bicubitales et altiores, folia ad insertionem petioli exscissa, latiora, et breuiora quam in Lapatho aquatico, laete viridia, costis saepe rubentibus iisdemque et venis aliquanto hirsutis, margine crispis et valde firmis. Flores viridantes in densis verticillis nudis, partim caules, partim ramos, circa fastigium caulium exeuntes, vestiunt, quin et saepe in ramulis secundariis cernuntur. Valuulae fructuum planae sunt, integrae aut leuiter sinuatae, nullo granulo auctae. Haec varietas montosis locis propria est, et inhabitat praecipue totum tractum *Tschausensis* munimenti in vicinia *Obi* fluuii ad *Bicatunensem* vsque *arcem*, tractum *Koliwanensium* officinarum metallicarum, rupestrem regionem ab *Angae* fluuii ostio in lacum *Baicalem* et hinc ad *Bargusinense* vsque munimentum, vt et ad *Ircutum* et *Tunkinensem* arcem, denique totam illam rupestrem regionem, quae in-

intercedit *Aldanum* et *Ochotum* fluuios, inprimis vero illa famosa est, quae *Bielae* fluuio vicina. Exportatur etiam magna copia in *Russiam*, et officinas pharmaceuticas sub nomine rapontici intrat.

91. *RVMEX* floribus hermaphroditis, valuulis dentatis, granulo incumbente notatis, LINN. *Cliff.* 138. *Suec.* 293. ROY. *pr.* 229.

Rumex foliis cordato-oblongis obtusiusculis, crenulatis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 478. *n.* 12.

R.

I. Valuulis parcius dentatis, plerumque rectis.

Lapathum, folio minus acuto, LOB. *ic.* 285.

Lapathum vulgare folio obtuso, I. B. *II. p.* 984. *quod attinet ad descriptionem.*

Lapathum folio subrotundo, LOES. *Pruss. p.* 135.

Lapathum sylvestre folio subrotundo, seminis inuolucris dentatis, MOR. *Ox. II. p.* 580.

Lapathum inuolucro seminis dentato, foliis obtusis, ora crispula, HALL. *Helv.* 172.

II Valuulis copiosius dentatis, dentibus plerumque crispis.

Lapathum ramis procumbentibus, seminis inuolucro dentato, foliis inferioribus fidium instar, MOR. *Ox. II.* 580. *p.* 5. *Tab.* 27. *fig.* 13.

Lapathum pulchrum Bononiense sinuatum, I. B. *II.* 988.

Lapathum inuolucro seminis dentato, foliis supra pediculum emarginatis, HALL. *Helv.* 172.

Lapathoidis fistuloso caule, angusto salicis folio, semine in calyculis echinatis minutulo, lutescente, MESS. AMM. *Ruth.* 228.

I. Passim quidem obuia est, sed rarius. II. in omni *Sibiria* frequentissime occurrit. Lapathoiden MESSERSCHMIDIVS praeter locum in AMM. *Ruth.* notatum etiam in superiores regiones *Ienisseae* fluuii collocat, teste itinerario eius, vbi nullam aliam plantam inueni, cuius facies nomini ab ipso imposito responderet, praeter hanc. An vero specie a I. differat, vix adhucdum perspectum habeo. Sinus enim lunares folii infra supra petiolum exculpti non sunt constantes, saepe autem omnia folia salicis folia integerrima referunt.

(Videor mihi Botanicis rem facere non ingratam, si ex speciminibus siccis, a B. STELLERO academiae missis Camphoratarum mentionem iniiciam; huc enim pertinent, iconesque quas ad ea sculpi curaui, optime exprimunt nouas, quas propono species, a B. PATRVO vel praeteruisas, vel, quod probabilius est, quacunque de causa perditas, video enim in vetustiore catalogo nomina eorundem excitata.

92. *CAMPHORATA* caulibus ascendentibus ramosis, floribus sparsis, foliis alternis linearibus. Tab. XXII.

Camphorata hirsuta, C. B. P. STELL. *Irc.* 1136.

Fallitur optimus STELLER, dum hanc plantam vnam et eandem putat cum camphorata hirsuta BAV-

BAVHINI, quae camphorosma monspeliensium L. est. Id mihi ex collatis inuicem speciminibus luculenter adparuit. Posterioris folia multo sunt tenuiora multoque breuiora et spissius congesta, nostrae mollia sunt et longa. Sed differentiam specificam sequentia probant. Cauliculi fruticosi, octo vel plures, in orbem sparsi, cubitales, breues, teretes, flexiles, lutei vel sordide purpurei, infra procumbentes, lanuginosi, supra in duos, tres vel plures ramos diuisi, raro simplices, vestiti foliis copiosis ab imo ad summum, infra in fasciculos collectis, vt in Larice, supra alternis, latiusculis, planis, linearibus, hirsutis, semiuncialibus. Eorum alae globulos floriferos gerunt, perquam sibi vicinos, hirsutos. Flores mox commemorati, in varietate, quam figura prima exprimit inter folia minora sessiles sunt, et in illa, quam figura secunda habet, villis longiusculis albis insuper cinguntur, atque in iis fere delitescunt. Specimina huius plantae non ramosa dimidiam fere caulis partem globulis eiusmodi sessilibus vel spiculis semiuncialibus obsessam habent, quibus non minus ac globulis folium longiusculum substernitur, auctum foliolis minoribus vel villis.

Radix lignosa est, sicca.

Camphorae odorem in siccis plantis non percipio, nec de recenti STELLERVS aliquid memoriae prodidit.

De structura floris et fructus nihil certi scio, subtilius enim examen instituere non potui. Animadverto tamen, quod conformem huic generi fabricam obtineant.

93. *CAMPHORATA* caulibus distortis, ramosis, foliis longissimis. Tab. XXIII. Fig. 1.

Caules lignosi albicantes, fere dodrantales, ramosi, per breuia interualla contorti, a tertia eorum parte foliis copiosissimis vestiti, diuersimode, numquam tamen, vt in Larice, dispositis. Ex alis foliorum ramuli exeunt, foliis veluti squamatim densissime vestiti et coaceruati. In alis flores et fructus latent, quorum fabricam non penitus perspicere potui. Sed ob habitum, et aliquam earum partium, quas discreui, conuenientiam huc omnino spectare puto, quamuis et ad corispermum plantam accedere non negem. Folia fere subulata, vncialia et sesquiuncialia, (longissima enim dixi respectu ad folia reliquarum specierum habito) acuta, hirsutissima, sed hirsuties in icone ob pictoris incuriam non adparet. Ad *Irtim* fluuium in regione arcis septem palatiorum prouenit.

94. *CAMPHORATA* caule simplicissimo, Tab XXIII. Fig. 2.

Radix tenera, caulis simplicissimus, pilosus, non multum ab exortu folia semiunciam longa vixque lineam lata emittens, pilosa, alterna. In eorum alis globuli floriferi latent.

Pertinet huc absynthium insipidum, foliis singularibus, angustis, pilosum, GMEL. AMM. *Ruth.* *n* 200. quemadmodum me Herbarium Ammanianum docuit. Huc retuli ob habitum et quoniam sub artemisia non recensitam plantam inueni. Icon eam inter chartam siccatam nitide exprimit.

Ad

Ad Regionem *Irtis* ſuperiorem et ad *Tanaim* GERBERVS legit.)

95. *ALCHEMILLA* foliis palmatis, LINN. *Cliff.* 38. *Suec.* 135. *EI. Sp. p.* 188. *n.* 1. ROY. *pr.* 231.

STELLARIA *Matth.* 1177. CAM. *Epit.* 908. *ic.*

Alchemilla vulgaris, CLVS. H. *p. CVIII.* C. B. P. 319. TOVRN. I. R. H. 508.

Pes leonis ſiue Stellaria, I. B. *II. p.* 398.

Alchemilla folio integro ſtellato polygonio, HALL. *Helv.* 184.

Nusquam neque in *Ruſſia* neque in *Sibiria* peregrina planta eſt, ſed vbiuis indigena.

CLAS-

CLASSIS X.

FRVCTIFLORAE.

1. VALERIANA, floribus triandris, foliis omnibus pinnatis, LINN. *h. Cliff.* 15. *Suec.* 30. *Spec. Tom. I. p.* 45. *n.* 5. ROY. *pr.* 234. HALL. *Helv.* 662.

Phu Germanicum, FVCHS *p.* 857.

Valeriana sylueſtris 1. *Cliff. Hiſt. p. LX.*

Valeriana sylueſtris, LOB. *ic. p.* 715.

Valeriana sylueſtris maior, C. B P. 164. TOVRN. I R. H. 132.

Valeriana sylueſtris magna, aquatica, I. B. *III. p.* 2. *p.* 210.

α) Foliis auguſtioribus.

Valeriana sylueſtris maior montana, C. B. P. 164.

β) Foliis latioribus ſplendentibus.

Valeriana paluſtris maior profunde laciniata, C. B. P. *p.* 86.

Valeriana Riv. Mon. irr. Tab. I.

Variat altitudine inter palmum et tres cubitos, florum maiori aut minori magnitudine, eorumque varia tinctura, quae ſaepe pallidiſſima eſt, et hinc per carneam ad rubicundam tranſit, foliorum glabritie aut aliqua eorum hirſutia, dentibus nullis aut paucis aut numeroſis, pinnis foliorum inferiorum aequalibus aut inae-

inaequalibus, vt ſumma reliquas inferiores magnitudine ſaepe antecellat. Hirſutia et parua ſtatura montoſis, glabrities et nitor foliorum et proceritas plantae paluſtribus locis magis familiaris eſt. Dentes pinnarum loci natura non excludit, in montoſis tamen locis nunquam adeo profundos et copioſos vidi, quam in paluſtribus. Odor tamen tam florum quam radicum ibi fragantior eſt. In α) ſaepe vidi tubum floris inferius extremum verſus ex eo latere, ex quo inferius floris labium collocatum eſt, in leuiſſimum tuber intumeſcere.

Per omnem *Sibiriam* indigena eſt, maxime incolis celebrata propter virtutem antepilepticam, qua et per omnem *Ruſſiam* magnam promerita eſt famam. Ruſſ. dicitur земляной ладанъ.

2. *VALERIANA* floribus triandris, foliis ouato-oblongis ſubdentatis, caule ſimplici. LINN. *Spec. Tom. I. p.* 45. *n.* 8.

Valeriana foliis omnibus integris, ex ouato acuminatis, leuiter dentatis, HALL. *Helv.* 664.

Valeriana alpina foliis integris, radice repente, inodora, RAI. *Syll. ext.* 259. *Hiſt.* 1. 389. *et ex* RAIO *Moris. H. Ox. III. p.* 102. STELL. *Ochot. n.* 50.

Valeriana ſaxatilis alpina minor, foliis integris, Italica, BARR. *ic.* 868.

An reliqua ſynonyma Ill. HALLERI et LINNAEI huc quadrent, meis quidem inueſtigationibus

ita aſſequi nequeo, vt iudicium meum exponere audeam.

Valeriana alpina ſcrophulariae folio C. B. pr. p. 87. quod attinet ad deſcriptionem, non male conuenit, ſed nullam in foliis radicalibus noſtrae plantae ad inſertionem petiolorum ſinum ego vnquam vidi excauatum, qui tamen in pluribus iconis BAVHINIANAE foliorum exemplis expreſſus cernitur. BARRELIERII iconem HALLERVS ſingularem vocat. Vmbellas exhibet nimis iuuenes, in quibus foliola germinibus et vmbellulis ſubiecta naturali aliquanto longiora exhibentur, quae adultis etiam ſeminibus vix ad eorum ſummitatem pertingere ſolent; error itaque iconis eſt in ſola proportione partium.

STELLERVS, qui plantam hanc in loco natali ab *Aldano* ad *Iudomam* vsque fluuium frequentem obſeruabit, eius radicem deſcribit repentem, caulem ſimpliciſſimum, folia integra, glabra, ad oras atriplicis inſtar ſinuata, flores candidos eosque pariter atque radicem odoris omnis expertes. (Flores HALLERVS roſeos, RAIVS albidos, alii leuiter rubentes vocant). In exemplis ſiccis transmiſſis video, folia radicalia eſſe ouata, ſeu ouato lanceolata, rarius dentata, caulina, quo inferiora ſunt, magis, quo ſuperiora, minus dentata et tandem integerrima et fere linearia. Mediis foliis plerumque folia minora integra ſubſternuntur, qualia etiam icon BARR. habet. Stamina ſingulis floribus tria ſunt.

3.

3. *VALERIANA* floribus tetrandris ſubaequalibus, ſeminibus ſcutatis.

Valeriana floribus tetrandris aequalibus, foliis pinnatifidis, ſeminibus palea ouali adnatis, LINN. *Vpſ. p.* 13. *n.* 2. *Spec. Tom. I. p.* 48. *n.* 18.

α) Procerior, foliis omnibus plerumque pinnatifidis, Tab. XXIV.

Valerianella procera, folio varie ſecto ſemine galericulato, MESS. AMM. *Ruth. p.* 19. *n.* 26. *Comment. Soc. Reg. Sc. Gott. Tom. I.*

Valerianella teſtraſtemon, ſemine foliolo innato Comment. Reg. S. *Gotting. T.* 1. *p.* 207. *T.* IX.

β) Humilior, foliis radicalibus integris aut varie ſerratis et inciſis.

Valerianella flore luteo non galericulato, foliis partim integris, partim laciniatis, MESS. *Diar.*

Valeriana lutea humilis, GMEL. AMM. *Ruth. p.* 18. *n.* 25. *T. III.* LINN. *Sp. pl. T. I. p.* 34. *n.* 16.

Communes notae omnibus huius ſpeciei indiuiduis hae ſunt. Calix quinqueſidus, laciniis ſubrotundis perſiſtens. Corollae flaueſcentes, infundibuli formes, in fundo piloſae, pentapetaloideae, ſatis regulares, licet ſcrupuloſe attendenti leuis inaequalitas in laciniis ap-

pareat, ſtamina plerumque quatuor, raro quinque, rariſſime tria; germen flori ſubſtratum, oblongum, ſuperiori extremo craſſius, extus foliolo germine aliquanto maiori, venoſo, perſiſtente, inſtructum et in ſtilum deſinens, ſtaminibus aut aliquanto longiorem, aut aequalem, aut paulo breuiorem, ſtigmate praeditum craſſiusculo, fere capitato, ſubinde leuiter ſulcato. Antherae ab initio erectae ſunt, tum incumbentes. Fructus, in quem germen maturatur, oblongus eſt, ex altera parte per longitudinem ſulcatus, ex altera aut paullo gibbus, aut planus, ibidemque foliolo inſtructus ouoideo, infra obtuſo, ſupra leuiter mucronato, valde venoſo, quod eo tempore, quando germini tenello accumbit, liberum poſtea, quando illud increſcit, ipſi firmiter agglutinatum eſt, ſub ſtatum maturitatis denique rurſus recedit. Color, qui ab initio e viridi luteus eſt, denique e fuſco albet. Fructus maturus, quod ſpectat ad colorem, cardamomi putamen refert. Includit autem poſteriori ſua parte ſemen e viridi fuſcum, ſubrotundum, vtrinque gibbum et depreſſum, vtraque extremitate paullo acuminatum, anteriori autem parte duos loculos vacuos, quos et ſulcus ante deſcriptus indicat. Folia ad caulem plerumque pinnata ſunt, aut certe ad coſtam vsque pinnatifida.

Caulis varietatis α) teres eſt et glaber ſaepeque rubet, praecipue infra, atque inter pedum et cubitum longitudine variat. In β) perſaepe leuiter anguloſus eſt, pallide viridis, hocque et rubro nonnunquam coloribus mixtim veſtitus, ſaepe hirſutus, inprimis ſupra

pra ab vnciali ad ſemipedalem et dodrantalem vsque altitudinem. Flores et fructus varietatis β) plerumque maiores ſunt quam α) cum tamen tota planta minor ſit. Varietas α) pratis delectatur et marginibus ſyluarum, β) nonniſi in aſperis et apricis locis prouenit, vbi etiam varia producit monſtra. 1. Foliis radicalibus, quae ſaepe omnia ſunt integerrima, ſaltem pauca vel dentata, vel leuiter inciſa, ſaepe inter pinnata et dentata ambigunt. 2. Foliis caulinis, quorum inferiora nonnunquam integerrima vidi. 3. Vtraque foliorum ſpecie ſaepe glauca, quod ſpectat ad colorem. 4. Corollis, quas interdum vidi tubo ventricoſiſſimo et ſtaminibus craſſiſſimis inſtructas, cum ille limbo deſtitueretur. 5. Corollarum odore, qui in plantis *Krasnoiarenſibus* iasmino erat analogus, ſed adeo fortis, vt caput tentaret. 6. Calicibus, qui ſaepe in nullas, ſaepe in duas tantum aut tres breues laciniolas ſecti ſunt. 7. Filamentis, quorum duo, tria perſaepe a baſi ad dimidiam vsque partem pilis longis villoſa vidi, cum tertium et quartum nuda eſſent. 8. Radice, quae ſemper eſt amplior, quam in α) et guſtu acris, cum in α) nunquam niſi inſipidam deprehenderim. Hanc plantae β) monſtroſitatem vlterius declarat eius fecunditas, vix vltra primam prolem extenſa. Semina perfecta et omnibus numeris abſoluta proferre videtur, quae vero rariſſime progerminant. Saepiſſime enim bene matura ex *Sibiria* Petropolin miſi, quae omnia ſata vix vnam et alteram plantam dedere, in alteram generationem non perdurantem. Interim MESSERSCHMIDIO adſtipulari nequeo, qui hanc varieta-

tem β) ſemine non galericulato vocat, nunquam enim alia in ea ſemina, quam galericulata vidi.

Ex quibus omnibus, vti puto, perſpicuum eſt, plantam α) eſſe plantam huius ſpeciei maxime naturalem, cuius itaque deſcriptionem adornabo, quoad potero, exactam, ſaltem exactiorem illa, quam b. AMMANVS *in iconibus et deſcriptionibus ſtirpium rariorum in imperio Rutheno ſponte prouenientium* euulgauit; hanc et icone ad plantam ſylueſtrem naturali magnitudine facta illuſtro. Radix fuſca eſt, lignoſa, perennis. Vitam perennem autem diiudico ex eius craſſitie, quae ſaepe digito indici aequalis eſt, et ex caulibus ſuperiorum annorum ſuperſtitibus, vt adeo LINNAEVS annuam minus recte pronunciauerit. Folia radicalia pinnatifida, aut ex pinnato dentata, rarius etiam ouata et margine ſerrata ſunt. Caulis pedalis et cubitalis plerumque rubet, rariſſime totus viret, teres eſt et glaber, foliis veſtitus fere ſeſſilibus, ex aduerſo binis, ſupra ſature et laete viridibus, infra multo pallidioribus, quo ſuperioribus, eo minoribus et frequentioribus, quinque, ſex et ſeptem coniugationibus foliolorum lanceolatorum conflatis, impari coſtam claudente, pinnatifido. E ſummis foliorum alis e ſingulis ſinguli prodeunt ramuli hirſuti quorum infimi vnciales et biunciales, ſuperiores vix quartam vnciae partem longi ſunt, et foliolis paullatim ad extremitatem vsque ſtipantur oppoſitis, infimis, aliquanto inciſis, ſuperioribus integris et minutiſſimis. Ex horum foliorum alis pedunculi tenelli prodeunt, trientem vnciae et minus longi, quorum ſinguli florem

rem ſuſtinent, calyce in ipſa baſi aliquot minutis ſquamulis ſuccincto. Omnes flores ſimul ſumti propter ramulorum inferiorum maiorem longitudinem, quam ſuperiorum vmbellae ſpeciem efformant.

Ab *Ieniſea* fluuio orientem verſus ad *Aldanum* vsque fluuium indigena eſt, raro in montoſis, ſaepe in humilioribus locis proueniens, inter gradus latitudinem 53 ad 65. STELLERVS tamen in montoſis locis *Angarae* et lacus *Baicalis* natam obſeruauit, forte, quia iſta loca non ſunt ſterilia, paſſimque ſyluoſa.

Varietatem β) in montoſis, aſperis, lapidoſis locis *Iaici* fluuii et in *Imene* monte copioſam vidi, vbi plantae naturalis ne veſtigium quidem erat, quae longiſſimo abhinc orientem verſus ad *Ieniſeam* demum fluuium primo occurrit. Eiusdem generis loca circa *Krasnoiarium* vrbem eandem varietatem gignunt. Campi montoſi ex oriente iugi montis, *Iablennoi* dicti, trans *Baicalem* ſiti, aliquanto dictis hilariores et fertiliores, eandem ferebant. Lapidoſa ſteriliaque loca ad *Lenam* fluuium *Kutam* et *Kirengam* fluuios interiacentia ea porro exornabantur. STELLERVS, qui certe non metuit ſibi ab aſperis locis, nusquam illam inuenit, niſi in locis ſaxoſis et ſterilibus, *Bielam* et *Iunam* fluuios ſeparantibus. Ibi autem obſeruatam pro plantae α) varietate habuit.

Ad iconem eiusmodi plantae exemplum inſeruiit, quod non nimiis floribus onuſtum eſſet, vt pictoris labo-

laborem parceretur. Plura etiam folia radicalia ſunt. *a.* Flos deſuper viſus. *b.* Semen, ſcuto inſtructum, ſupinum. *c.* Idem erectum, cum ſcuto ſupino. *d.* Idem ſcuto deſtitutum; a parte anteriori ſiue ſulcata conſpicuum. *e.* Idem a parte poſteriori. *f.* Idem ſupinum, vt adpareant loculi vacui. *g.* Idem erectum, vt loculi vacui et ſeminis abſciſſa pars in conſpectum veniant.

Ruſſico nomine рябика – vocatur, omnium fere plantarum inſtar, quarum foliorum diſpoſitio cum foliis ſorbi aliquam habet ſimilitudinem.

(PLVCKNETII anonymos cheiſanenſis ſideritidis folio etc. Tab. 442. fig. 1. alia longe planta eſt, quam quae poſſet tanquam varietas huc recenſeri, quod tam ex noſtra, quam ex AMMANIANA icone abunde adparet.)

4. *LINNAEA* floribus geminatis, LINN. *Lapp.* 210. *T. n. f.* 4. *h. Cliff.* 320. *Suec.* 522. cum icone ampliore et perfectiore *Spec. plant. Tom. II. p.* 880. *n.* 1. ROY. *pr.* 236. HALL. *Helv.* 608.

Campanula ſerpyllifolia, B. *pr.* 35. *f.* 35. *pin.* 93. I. B. *II.* 816. aliorumque plurimorum auctorum.

Serpillifolia, BVXB. *in Comm. Petr. II. p.* 346.

Obolaria, SIEG. *prim.* 79.

Valerianella nemoroſa repens, foliis vitis ideae minoribus, flore ſubrubente, ſemine vmbilicato,

cato, *hirſuto*, *oblongo*, MESS. AMM. *Ruth. n.* 27. *p.* 19. 20.

Ruſſiae, *Sibirae* et *Kamtſchatcae* indigena eſt.

Specificam eius virtutem in arthriticis et rheumaticis doloribus ſaepe tentantes, quum Petropoli verſaremur, de ea conuinci non potuimus, quod inuiti, ex rei tamen veritate, denunciamus.

5. *LONICERA* pedunculis bifloris, baccis diſtinctis, foliis integerrimis pubescentibus, ROY. *pr.* 238. LINN. *Suec.* 192. *Spec. Tom. I. p.* 248. *n.* 6. *Xyloſteum*, DOD. *Pempt.* 412. RIV. *mon. irr. T.* 119.

Allobrogum periclymenum, *ſiue periclymenum rectum*, LOB. *ic.* 633.

Periclymenum rectum 1. CLVS. H. 57.

Chamaeceraſus dumetorum fructu gemino rubro, C. B. P. 451. TOVRN. I. R. H. 609.

Periclymenum rectum fructu rubro, I. B. *II. p.* 106.

Lonicera pedunculis bifloris, *ouatis*, *obtuſis*, *integris*, LINN. *h. Cliff. p.* 98.

Caprifolium floribus geminis, *foliis ouatis*, *lanuginoſis*, *integerrimis*, HALL. *Helv.* 464.

1. Eadem baccis nigris.

Periclymenum rectum, 1. CLVS. *ann. baccis nigris p.* 87.

Abulnari ad humanam et nonnunquam paullo maiorem excrescit altitudinem, caudice in procerioribus arbusculis pollicari, e cinereo rubente. Rami maiores cortice albido duobus subinde ramis palmaribus et semipedalibus, plerumque in leuem arcum inflexis, e viridi rubentibus et pilosis stipantur, foliis amictis duobus oppositis, mollibus copiosisque breuibus pilis pubescentibus, leuiter rugosis, supra sature, infra pallide et e glauco viridibus, ouatis, obtusis aut etiam distincte mucronatis, pedunculis trientem vnciae circiter longis suffultis. E singulis foliorum alis singuli exeunt pediculi virides, rubro colore passim imixto, hirsuti; quorum singuli duobus onusti sunt germinibus oblongis, et germine totidem corollis, quae clausae cylindraceae, hirsutae, tenues, e virido albentes, et infra tuberositate quadam rubente in eadem linea praeditae deorsum pendent, apertae autem paullo eriguntur, et in duo panduntur labia, vnum superius linguiforme, extra rubens, intus e viridi albens, alterum inferius quadrifidum, albidum, passim aliquanto rubens, laciniis obtusis, duabus mediis proximis, obiter incisis, duabus externis remotioribus. Quinque stamina corollis includuntur, quae filamentis constant albidis et totidem oblongis angustis antheris, primo viridibus et puluere excusso albentibus. Calix quadrifidus et quinquefidus, breuissimus, virens et in margine rubens, singulis germinibus insidet, ex quo stilus eminet albidus, corollarum longitudine, stigmate virenti turgidulo instructus. Germina tandem in baccas rubras subrotundas, plerumque distinctas, nonnunquam inuicem leuiter concretas maturantur. Haec

Haec planta vti omni Russiae ita et toti regioni *Sibiricae* a *Iaico* ad *Ienisseam* vsque indigena est, et Russice жимолость dicitur.

Plantam 1) Cl. KRASCENINNIKOW, Bot. Professor, dum viueret, *Petropolitanus*, e *Kamtschatca* ad me misit siccam, quam sane a descripta nulla alia re, quam baccarum colore diuersam sentio, et eandem iudico, quam b. STELLERVS in Flora Irc. n. 1104. et Ochot. n. 515. sub nomine Chamaecerasi alpinae fructu nigro gemino B. *Pin.* recensuit: obseruaui etiam ego semel in insula *Irinda* minori siue inferiori *Tungusca*e fluuii: quae itaque baccis nigris fere ab *Ienisea* et a *Lena* fluuiis ad oceanum vsque orientalem et in *Kamtschatcam* vsque proueniret. Quo ipso noua auctoritas accedit obseruationi CLVSIANAE, hanc varietatem etiam *Pannoniae* adscribenti, quam in dubium reuocauit Ill. HALLERVS in Enumerat. strip. Helv. p. 464.

Ex ligno huius plantae in Russia oleum parant empyreumaticum per descensum, nigrum, ponderosum, graue, densum, quo externe tumores frigidos inungunt, bono, vti vulgo praedicant, successu. Sed et contra quascunque impuritates, quas in sanguine coniiciunt, interne sumtum summe proficuum censent, vt in variis luis symptomatibus, in scorbuto et in scabie palmarium ipsis praebeat remedium.

6. *LONICERA* pedunculis bifloris, baccis coadunate globosis, stilis indiuisis, LINN. *Spec. Tom. I. p.* 174. *n.* 9.

Periclymenum rectum fructu coeruleo, CLVS. *Pann. p.* 85. I. B. 108.
Periclymenum rectum III, CLVS. H. 58.
Chamaecerasus montana fructu singulari coeruleo, B. *Pin.* 451. TOVRN. 1. R. H. 609.
Lonicera pedunculis bifloris, bilabiatis, bacca singulari globosa integerrima, ROY. *pr.* 239.
Caprifolium floribus geminis, foliis longe ellipticis, neruosis, HALL. *Helv.* 465. *n.* 3

Per omnem *Sibiriam* et *Kamtschatkam* vsque nascitur, syluas aliquanto montosas amans.

Quia flores praecocius reliquis huius generis speciebus, et vel ipsa in *Sibiria* Maio mense iam profert, nec hortos multum ingressus est, frutex non valde illepidus, descriptio eius multos adhuc patitur hiatus, quos resarcire mearum partium esse duxi. Altitudine inter sesquicubitum et humanam staturam variat. Cum primum folia emittit, rami nouelli, petioli et postea etiam pedunculi, quin et ipsa folia valde hirsuta sunt. In ramis pili hirsutiam efficiunt, in locis praecipue siccis adeo rigidi euadunt, vt tangenti sensum spinarum fere imprimant. Folia in iuniore statu vnciam plus minus longa, ouata sunt, saepe obtusissima, saepe aliquanto mucronata, vti in priori specie, supra laetissime viridia, infra pallida, vtrinque perquam hirsuta, id quod maxime ad oras foliorum conspicuum est, quia pili in eodem plano iacent, quam folia, vnde conspectum in disco folii fere fugiunt, nisi attentissime

tiſſime adſpiciantur. Singulos pedunculos duae laciniae anguſtiſſimae terminant, quibus fouentur duo fetus, membrana communi cincti, breui in vnum germen coniungendi, depreſſum, cui ſupra communis inſidet breuiſſimus quinquefidus calix, et duae corollae e luteo albentes, extra hirſutae, plerumque infundibiliformes, in quinque partes vel acutas vel obtuſas ſectae, vix irregulares, (vti etiam CLVSIANAE icones in hiſtoria exhibitae, exprimunt,) inter quas tamen vna et altera ſaepe occurrit, vbi vna lacinia a reliquis ſecedere et veluti propendere videtur. Poſterior pars corollae in tubum deſinit rectum, inferiori extremo quaſi bifidum, altera parte libera, altera germini innixa. Quinque ſtamina e parietibus tubi internis oriunda longisque luteis antheris inſtructa, et ſtilus ſimplex, cum ſtigmate capitato ſtaminibus breuior, e ſummitate germinis veniens, florum partes abſoluunt. Poſtquam flores emarcuerunt, hirſutia ramulorum et foliorum paullatim euaneſcit, hinc venoſitas horum fit luculentior, folia porro fiunt longiora, duriora, et paſſim nitent, et infra ſaepe in glaucum vergunt, quae omnia, quo ſerius obſeruantur, eo diſtinctius patent. Baccae tunc obſcure caeruleae ſunt, amplae, interdum fere rotundae, longiuſculae etiam, ſemiuncia nonnunquam parum breuiores, etiam multo minores, anguloſae, quinque aut ſex ſeminibus albicantibus fetae.

Ita quidem iudico ex permultis obſeruationibus, per plurium annorum ſpatium inſtitutis. Quum vero hae obſeruationes non vno, ſed diuerſiſſimis locis factae

ſint, non omnino conuictum me eſſe pronuncio, quod omnia haec vni competant ſpeciei. Hirſutae ſpeciei, quam pro iuniore planta habeo, virgae ſaepe videbantur robuſtiores et diffuſiores, alterius vero, quae folia fere glabra et lauri inſtar ampla profert, quamque pro adultiori planta expoſui, virgae tenuiores, flexiliores et minus ramoſae, baccae minores et oblongiores. Id quod indicare volui, ne coniecturas pro certis obtrudere velle videar.

7. *LONICERA* pedunculis bifloris, baccis diſtinctis, foliis cordatis, obtuſis, LINN. *Vpſ.* 42. *n.* 3. *Spec. Tom. I. p.* 173. *n.* 5.

Chamaeceraſus fructu gemino rubro foliis glabris cordatis, AMM. *Ruth.* 184. *n.* 262.

In locis ſylueſtribus regionum *Transbaicalenſium* aliquanto elatis, non valde ſterilibus vidi hunc fruticem excreſcere in humanam vsque altitudinem caudice recto, digiti auricularis craſſitie, ſupra non parum in ramos diffuſo. In horto Academico Petropolitano ſub dio in egregiam iam arborem excreuit, pluribus ſurgentem caudicibus pollice craſſioribus, ſesqui-orgyiam altis, vtrinque valde in latum diffuſis, vt ea topiariis accommodiſſima ſit, inprimis iis in locis, vbi tanta clementia coeli non eſt, quae admitteret teneras plantas et frigoris impatientes.

(Alium locum natalem indicauit b. AMMANVS l. c. ſcilicet in media *Iaici* regione, in confiniis *Oropolis*. Iis, quae de hac planta b. AMMANVS et LINNAEVS l. c. tradiderunt, paucula in ſupplementum adiiciam, elapſa aeſtate in horto noſtro obſeruata.

Nodi

Nodi corollarum rubri ſunt, corollae recens expanſae carnei coloris, qui paullatim in lacteum expal'eſcit. Odore porro iucundo eminent. Duplici modo formatas vidi. Ex longiuſculo tubo vel in limbum deſinunt fere aequalem, vt ſint infundibiliformes, quinquefidae, tribus laciniis ſupra diſpoſitis, duabus infra, ſuperioribus duplo profundius ſectis, vel in limbum inaequalem, vt corolla ſit bilabiata, in qua labium ſuperius trifidum eſt, laciniis lateralibus longioribus, media profunde cordata; inferius ſimplex et anguſtum, a tubo floris incipiens: in vtroque caſu laciniae planae ſunt, nequaquam reuolutae. Quod itaque ſpectat ad corollas, ambigunt illae inter genera chamaeceraſi et xyloſtei, licet non diffitear, alteram recenſitam florum ſpeciem frequentiorem eſſe, vnde tamen denuo patet neceſſitas, haecce genera coniungendi. Praeter caliculum bifolium, ſingulis germinibus ſuccinctum, qui bracteolas albidas ſubrotundas refert, et pentaphylloideum, ſingulis germinibus innatum, foliola adhuc duo ſubſunt ſingulis germinum paribus variae magnitudinis, ſemper tamen reſpectu reliquorum foliorum parua, iisdem vero, quod attinet ad ſubſtantiam et venas ſimillima, lanceolata, oris plerumque reflexis, quae obſeruatio eſt Ill. LINNAEI, et ad ſpecificam differentiam multum facit. Germina ſemper duo ſunt diſtincta, ſed raro vtrumque abortum patitur. Vidi tamen vtraque bacca onuſtos pedunculos, vidi etiam quaedam ſpecimina, vbi baccae aliquanto concretae erant.)

8. *LONICERA* racemis terminantibus compoſitis, laxis, vmbellatis, foliis ſerratis, Tab. XXV.

Chirur-

Chirurgus, qui comitatui Ruſſico mercatorio, ad Sinas proficiſcenti, interfuit, huius plantae aliquot ramos attulit, quos paſſim non procul a muro *Sinenſium* ex arbuſcula humanae circiter altitudinis ſe decerpſiſſe affirmauit. Virgae ſunt craſſi calami ſcriptorii craſſitie, cortice fuſco et paſſim cinereo obductae, ramis oppoſitis praeditae, e quorum gemmis duo, quatuor et ſex folia prodeunt, foliis periclymeni recti folio ſerrato I. B. quod ſpectat ad externum habitum et ad ipſas etiam albas venas in ſicca planta conſpicuas exacte ſimilia, niſi quod aliquanto latiora eſſe videantur. Inter ſeriem ſummorum foliorum rami floriferi prodeunt, plerumque duo, maior et minor, aut et quatuor, duo maiores et duo minores, biunciales et triunciales; horumque minores ſaepe in duos tantum pedunculos ſubdiuiduntur, et fere, vti in Valeriana. Pedunculi etiam occurrunt vniflori et triflori. Laciniolae albidae ex lineari lanceolatae aut baſi calicum aut pedunculorum, vna aut duae ſubſternuntur. Calix albicans, paruus quidem at in hoc genere magnus, in quinque latiuſculas obtuſas lacinias finditur. Corolla albida, certe non rubens, quantum ex ſiccis plantis colligi poteſt, non quidem in earum cenſum referenda eſt, quales fert chamaecerafus et caprifolium, bilabiatas, ad irregulares tamen, cum laciniae ſint inter ſe valde inaequales, iure meritoque refertur.

9. *VACCINIVM* pedunculis vnifloris, foliis ſerratis, ouatis, deciduis, caule angulato, LINN. *Lapp.* 143. *h. Cliff.* 148. *Suec.* 313. *Spec. Tom. I. p.* 498. *n.* 1. ROY. *pr.* 239. HALL. *Helv.* 415.

Vaccinia

Vaccinia nigra, DOD. *pempt. p.* 768.

Vitis idaea foliis oblongis crenatis, fructu nigricante, C. B. 470. TOVRN. I. R. H. 608.

Vitis idaea angulosa, I. B. 1. P. 1. *p.* 520. cum aliena icone.

α) Idem baccis albis.
Vaccinium foliis oblongis crenatis fructu albo, RVPP. *Ien. ed.* HALL. 1745. *p.* 52.

Siluarum humidarum, praecipue montosarum, adeoque totius *Sibiriae* et *Kamtschaticae* incola est. Bacca Russico nomine черница (tscherniza) dicitur, nec infimum inter bellaria locum habet. Varietas α) ad *Ienisseam* fl. passim occurrit, quam non inter minima naturae variantis cimelia repono, quia bacca naturalis inter omnes harum regionum vim tingendi maximam habet, vt qui illas comederit, ex labiis non difficulter cognosci possit.

10. *VACCINIVM* pedunculis vnifloris, foliis integerrimis, oualibus basi ciliatis, LINN. *Spec. Tom. I. p.* 499. *n.* 3.

Vaccinium foliis oualibus, integerrimis deciduis, LINN. *Suec.* 312. *p.* 313.

Vitis idaea Gesneri maior, CAM. *Hort. p.* 182.

Vitis idaea foliis subrotundis exalbidis, B. *pin. p.* 470.

Vitis idaea magna, *quibusdam myrtillus grandis*, I. B. 1. *P.* 1. *p.* 518. TOVRN. I. R. H. 608.

Vaccinium foliis annuis integerrimis, LINN. *Lapp.* 142.

Vaccinium foliis annuis exalbidis, HALL. *Helv.* 414. *n.* 2.

Nusquam hospes est, si syluae adsint montosae, aliquanto sicciores. Baccae etiam ab incolis valde sunt expeditae, quin *Tungusi*, *Chatangenses* et alii syluosa loca incolentes pro baccis omnium sapidissimis habent, creduntur tamen, vti apud *Hercynios*, *Iuranos* et *Thuringos* inebriare, vnde пїяница (pjaniza) nomen a Russis obtinuerunt. In primo tomo Fl. nostrae p. 219. occasione lignorum spirituosorum, quorum vsus in *Kamtschatka* inualuit, diximus, etiam ex his baccis fermentatis spiritum fuisse elicitum, et audiuimus a variis officialibus classis nauticae in annona harum baccarum vili admodum pretio magnam spiritus copiam, nullo alieno odore imbuti, haberi posse, esse tamen spiritum ex hisce baccis volatiliorem spiritu frumenti aut vini, et vix per annum conseruari sic posse, vt non in vappam transeat. Aliis Russicis nominibus hae baccae porro dicuntur голубица, (golubiza) голубѣль, (golubel) гонобобѣль (gonobobel).

11. *Vaccinium* racemis terminalibus nutantibus, foliis obouatis reuolutis integerrimis, subtus punctatis, LINN. *Spec. Tom.* 1. *p.* 500. *n.* 10.

Vacci-

Vaccinium foliis obuerse ouatis, perennantibus, LINN. *Lapp.* 145. *H. Cliff.* 148. *Suec.* 314. ROY. *pr.* 289. HALL. *Helv.* 414.

Vitis idaea buxeis nec deciduis foliis, CLVS. *Pann. p.* 77.

Vitis idaea rubra, CAM. *ep. p.* 136.

Vitis idaea foliis subrotundis non crenatis, baccis rubris, B. *pin.* 470. TOVRN. I. R. H. 608.

I. Idem calycibus et corollis pedunculisque, vt et horum foliolis monstrose carnosis, albis.

Per omnem *Russiam*, *Sibiriam* et *Kamtscatkam* indigena est. Baccae a Russis брусница (brussniza) vocantur. Ab omnibus nominatarum regionum gentibus auidissime expetuntur crudae, quas certe sine vllo damno magne copia ingestas vidi. Tota etiam hieme in cellis asseruantur satis recentes, et bellariorum locum sustinent. Condiuntur porro in aceto saccharo dulcificato, et acetariorum loco apud carnes assatas inseruiunt. Acceptissimum denique potus genus est in sanguine exaestuato, dum baccae cum aqua contunduntur et aliquandiu infunduntur, addita aliqua sacchari quantitate. Sapor est aliquanto acidus cum leui adstrictione, gustui non ingrata. Paratur ex succo baccarum cum saccharo in formam gelatinae redacto, bellarium, quod et delicatioribus, et cupediarum amantibus arridet. Idem succus, melli incoctus ad spissam

consistentiam in asserem oleo illitum tenui riuo effunditur, et in latitudinem dilatatur, vbi in placentulas tenues, siue materiam tenacem, tenui corio prorsus similem, consistit, постила (postila) vocant, quia in strato succi parantur, quae gratae acidae nec laude sua defraudandae sunt, quales tamen etiam ex aliis fructibus, praecipue ex pomis acidiusculis commode conficiuntur. Eodem modo etiam fiunt placentae crassiores oblongae quadratae, quae vt et mox nominatae, integros per annos conseruari possunt.

Varietatem in siluula Isetensis prouinciae, *Tschebarkulensi* arci vicina, copiosam inueni. Stamina corollis nulla inerant, sed stilus praeter modum tumidus. Corollae intus rubebant, et substantia prorsus referebant ephedrae calicem, quando matura semina includit. Eadem ratio erat calycum et foliorum in pedunculis. Pedunculi cute crassa albissima veluti obducti erant.

12. *VACCINIVM* foliis integerrimis reuolutis ouatis caulibus repentibus, filiformibus, nudis, LINN. *Spec.* 1. *p.* 500. *n.* 11.

Vaccinium ramis filiformibus, foliis ouatis perennantibus, pedunculis simplicibus, stipula duplici, LINN. *Suec.* 315. *p.* 114.

Vaccinia palustria, LOB. *ic.* 109.

Vitis idaea palustris, B. *pin.* 471.
Oxycoccus s. vaccinia palustris, I. B. 1. *P.* 1. *p.* 525. TOVRN. I. R. H. *App. p.* 655.

Vacci-

Vaccinium ramis filiformibus, repentibus, foliis ouatis perennantibus, LINN. *Lapp.* 145. *p.* 111.

Oxycoccus Rupp. Ien. p. 74. HALL. *Helv. p.* 413.

Baccae Ruſſ. клюква (Kliukwa) dicuntur.

Raro crudae comeduntur, niſi a gruibus et Tungusis, ad *Chatangam* ſiue *Tunguſeam* inferiorem. Coctae cum ſaccharo prioris inſtar ſpeciei in gelatinam guſtui acceptam concreſcunt. Acetariis etiam et potibus refrigerantibus illarum inſtar inſeruiunt. Denique tartari inſtar ad coctionem albam argenti per omnem *Ruſſiam*, et praecipue per *Sibiriam*, vbi tartari non ſemper copia eſt, bono cum ſucceſſu adhibentur.

Indigena eſt omni *Ruſſiae* et *Sibiriae*, in paludoſis locis frequentiſſima, non raro etiam in muſcoſa montana loca aſcendens. Mare tamen orientale verſus rarior euadit, in *Kamtſchatka* etiam raro eſt, licet non omnino deficiat.

13. *SANGVISORBA* ſpicis ouatis, LINN. *Spec.* 169. *n.* 1. *H. Cliff.* 37. *act. Stockh.* 1741. *p.* 187. *Suec.* 130. ROY. *pr.* 240.

Pimpinella ſylueſtris ſiue ſanguiſorba maior, DOD. *Pempt.* 105.

Pimpinella ſanguiſorba maior, B. *pin.* 160.

Pimpinella tetraſtemon, foliis oblonge cordatis, ſpica breui, HALL. *Helv.* 469.

I. Eadem altiſſima, ſpicis ouatis et longis cylindricis.

Pimpinella maior, rigida, praealta auriculata, ſabauda, BOCC. MVS. *Part.* 2. 19. TOVRN. I. R. H. 157.

II. Eadem altiſſima ſpicis florum conglomeratis.

Pimpinella maior Hiſpanica altera, conglomerata flore, H. R. P. TOVRN. I. R. H. 157.

Tam planta naturalis, quam varietatis I. et II. omnis *Sibiriae* indigenae ſunt plantae.

In I. altitudo excellit et folia rigida ſunt, in longos lobos cordatos, pulcherrime ſerratos, dentibus ſerrae acutis diuiſa, ſupra ſature viridia, infra fere cinerea. Saepe etiam veluti auriculae ſunt, ſiue ſtipulae in exortu petiolorum, aut etiam minima foliola ad exortum petiolorum particularium foliorum, quibus integrum folium componitur, in quibus omnibus tamen nullam certam conſtantemque naturae legem obſeruare vnquam potui. Capitula interdum ſesquiunciam longa, interdum breuia, ouata, idque in vna eademque planta. Quin et glomerata capitula cum iis, quae iam recenſui, aut conglomerata et oblonga, aut conglomerata et ouata, non raro ſimul occurrunt, vt nihil prohibeat, quo minus omnes hae plantae coniungantur. Radix omnium varietatum ſimilis, recens aliquamdiu repoſita, reſinam luteam ſponte fundit.

Ruſſico

Russico nomine черноголовка (tschernogolovka), capitulum nigrum a spicae adultioris colore, vt et шнурокъ (Schnurok) nescio ex qua causa dicitur. Iacutiae incolis Russicis мышьякъ (Myschjak) dicitur, quia radix muribus in penum hiemalem seruit. Iacuti sua lingua Emüjack vocant, et penum radicum a muribus collectarum studiose venantur, vt et ipsi cupediarum murinarum sine labore fodiendi compotes fiant. Dubium enim est, mures, an ipsi maiori earum desiderio ferantur. Tatari, non minus radicibus vescuntur, et sua lingua Söden vocant. Russici autem incolae decocto radicis in diarrhoea et dysenteria vtuntur.

14. *SANGVISORBA* spicis longissimis, LINN. *Spec.* 117. *n.* 2. *h. Cliff.* 37. ROY. *pr.* 240.
Pimpinella maxima Canadensis alba spicata, CORN. *Canad* 175. *f.* 174.
Sanguisorba Canadensis flore albo spicato, RVPP. *Ien. ed. III. p.* 63. *et*
Pimpinella Canadensis spica longa rubente, H. R. *Par.* TOVRN. I. R. H. 157.
Pimpinella maxima foliis longioribus, angustioribus, profunde dentatis, floribus albis, AMM. *Ruth.* 37. *p.* 27.

Quod hasce plantas coniunxerim, huius satis graves afferre posse rationes confidenter spero. Longitudo spicarum etiam in *Sibiricis* plantis varia est, quae vero ad vncias duas longitudine accedunt, aut has superant, eae nutant, sunt tamen etiam spicis erectis, nec rario-

rariores ſunt illis, quae nutant, ſcilicet plerumque omnes illae, quae duabus vncis breuiores ſunt. Ergo nutatio ſpicarum nihil ad differentiam facit. Quo longiores ſunt ſpicae, eo et graciliores ſunt. Folia earum plantarum, quae in ſiccis apertis campis transbaicalenſium regionum naſcuntur, et etiam earum, quas b. STELLERVS ad *Ochotum* et *Marecanem* fluuios, non procul ab Oceano orientali, collegit, lobis praedita ſunt multo anguſtioribus. Sed eadem planta, in *Kamtſchatka* nata, folia fert, vti etiam aliorum generum plantae, ibi natae, notabiliter ampliora. Tamen *Kamtſchatika* non differt ab *Ochotenſi* aut *transbaicalenſi* planta: ergo nec differt *Americana*, cuius differentiam b. AMMANVS diſtincte quidem non proponit, at illam ponere videtur in lobis foliorum anguſtioribus et ſpicis nutantibus, quia ſcilicet non nouerat, eandem etiam plantam haberi lobis foliorum latioribus et ſpicis erectis. Nec color ſpicarum vllius verae differentiae index eſt Albae ſpicae in ſolis *transbaicalenſibus* regionibus, ad oceanum orientalem et in *Kamtſchatka* proveniunt, vbi tamen nec rubrae prorſus exulant, quia viſum mihi eſt, quam obſeruationem etiam AMMANIANVS liber continet, albam ſaepe per aetatem in rubram degenerare. Sed praeter haſce rationes auctoritatem etiam habeo ſummorum Botanicorum, generoſi HALLERI et Ill. LINNAEI, ad quos ſiccas plantas eorum ſententiae reſciſcendae cauſa transmiſi, poſterior tamen eam pro diſtincta ſpecie in ſpeciebus proponit.

Mallem

Mallem tamen, vt nec haec planta a priori nisi varietate distingueretur. Vidi in hac ipsa planta nonnunquam spicas breues, vidi in priori longas, nec in vlla, quae vel spicas longas protulit, vel breues, solas, vel in foliorum latitudine, vel angustia, vel in foliolis accessoriis, constans aliquid deprehendi, quod illi aut alteri soli competeret. In eo autem omnes conveniunt, vt folia sint pinnata, et flosculi tetrastemones.

15. *AGRIMONIA* foliis caulinis pinnatis, fructibus hispidis, LINN. *Spec.* 1. 643. *n.* 1. *h. Cliff.* 179. *Suec.* 394. ROY. *pr.* 240. HALL. *Helv.* 407.

Euphatorium, FVCHS. *p.* 244. CAM. *Epit. p.* 756.

Euphatorium graecorum, *agrimonia officinarum*, LOB. *Ic. p.* 692.

Euphatorium veterum s. agrimonia, B. *pin.* 321.

Agrimonia officinarum, TOVRN. I. R. H. 301.

Russiae et *Sibiriae* indigena est planta. B. STELLERVS tamen profitetur, ex quo *Lenam* fl. reliquerit, scilicet in regionibus, mari *Ochotensi* et *Kamtschatico* vicinis, non amplius comparuisse.

16. *VIBVRNVM* foliis lobatis, petiolis glandulosis, LIN. *Spec.* 384. *n.* 7.

Opulus, LINN. *h. Cliff.* 109. *Suec.* 249. ROY. *pr.* 243. HALL. *Helv.* 463.
Sambucus aquatica, CAM. *Epit.* 977. I. BAVH. 1. *P.* 1. 552.
Sambucus aquatica flore simplici, C. B. *Pin.* 456.
Opulus Ruellii, TOVRN. I. R. H. 607.

Vti per omnem *Russiam*, sic et per *Sibiriam* vbique inueni. B. STELLERVS ad *Amgam* et *Aldanum* fluuios, quorum vterque in *Lenam* influit, fines ipsi ponit, cum neque in *Ochotensibus*, neque in *Kamtschaticis* regionibus viderit. Flores marginales procul dubio steriles sunt, ad neutros tamen non referendi. Perpetuo enim etiam in illis quinque filamenta sunt breuissima, antheris didymis instructa et stigmata tria.

Fructus in *Sibiria* plurimae gentilium parti edules sunt, et *Russis* калина (Kalina) dicuntur, nec vsu suo, referente b. STELLERO, in cat. medicam. Sibir. apud illos, praecipue tamen Sibiricos et Casanienses, prorsus carent. Exprimentum, ad quod baccas adhibent, nimis est curiosum, quam vt silentio prematur. Non infimum apud illos, inprimis qui mediocris sunt conditionis, hospitalitatis signum est, si liquores conuiuis appositos magis potatos quam gustatos etiam perinde adhuc senserint. Quare quaeuis potulentorum fermentatorum et spiritus ex his praeparati genera amica et voluntaria prodigalitate apponuntur. Sunt autem abstemii, praeter aquam nullum potus genus acceptantes. Hisce comes hospites fucum faciunt. Baccas

cas maturas opuli ollae iniiciunt nouae, purae, cum ſacchari aliqua quantitate, ſpiritus frumenti vel ſimplicis, vel altera deſtillatione rectificati copiam pro lubitu addunt; ollam operculo claudunt, glutine craſſo ex farina firmant, ne facile ſpiritus exhalare poſſit, reponunt ollam in clibano calefacto, donec omnis baccarum rubor in ſpiritum tranſierit, cuius ſigna quaedam vel olla adhuc firmata habent. Baccae tunc cerae albae inſtar candidiſſime apparent, ſpiritus autem omni odore et ſapore deſtitutus, aquae vulgari ſimillimus, virtute valde inebriante praeditus eſſe perhibetur. Hoc igitur calidiſſimo theam ſinenſium infundunt, ſcutellis ſinenſibus exceptum ſorbillandum praebent abſtemiis illis, qui nihil ſibi metuentes aliquot ſcutellas incauti hauriunt, ſed intra aliquot minuta ſauciis illis et vinolentia madidis non diſſimiles euadunt.

17. *SAMBVCVS* racemis compoſitis, ouatis, caule arboreo, LINN. *Spec. Tom.* 1. 386. *n.* 4.

Sambucus caule arboreo, ramoſo, floribus racemoſis, ROY. *pr.* 243. *Sauv. Monſp.* 222.

Sambucus montana, CAMER. *Epit.* 976.

Sambucus montana racemoſa, LOB. *Ic.* 11. 163.

Sambucus racemoſa acinis rubris, B. *Hiſt.* 1. *P.* 1. 551.

Sambucus racemoſa rubra, C. B. P. 456. TOVRN. I. R. H. 606.

Sambucus arborea floribus ſpicatis, HALL. *Helv.* 467. *n.* 3.

Sibiriae vt et *Kamtſchatcae* indigena planta eſt, ſaepe veluti e rupibus enata, quibus maxime delectatur. Incolis Ruſſicis, forte propter ſimilitudinem, quam cum Sambuco fructu nigro intercedere obſeruant, illius inſtar пищальникъ (piſchtſchalnik) dicitur. Vtuntur autem illius ligno pueri in Ruſſia omnino vti in Germania, vt ſpeciem bombardarum lignearum ex illo parent. Gentiles *Sibiriae* hanc arborem nomine dignantur, ſed baccis eius non veſcuntur, licet ad Apicios vulgo haud referantur.

18. *CAMPANVLA* foliis radicalibus ex cordato ouatis, caulinis lanceolatis, ſaepe ſerratis, floribus nutantibus, Tab. XXVI.

Campanula foliis lanceolatis, caulinis acute ſerratis, floribus paniculatis, nutantibus, LINN. *Spec.* 1. 233. *n.* 9. *Vpſ.* 41. *n.* 5.

I. *Campanula vrticae folio oblongo, minus aſpero, profunde ſerrato, floribus caeruleis, pendulis, calyce non reflexo, radice recta, Rapae ſimili, teretiuſcula, non fibrata, ſuccida, eſculenta*, MESS. AMM. *Ruth. p.* 12.

Campanula vrticae anguſtioribus foliis, glabris rigidisque, AMM. *Ruth. n.* 15. *p.* 10.

Campanula rapuntii folio, floribus pallide caeruleſcentibus, pendulis, GERB. *Tan.*

Cam-

Campanula vulgatior foliis vrticae, C. B. P. STELLER. *Irc.* 46.

II. *Campanula vrticae foliis, glabra, floribus minoribus pendulis*, AMM. *Ruth. n.* 17. *p.* 11.

Campanula Persicae folio, CLVSII *H.* STELL. *Irc.* 41.

Mire haec planta variat, florum magnitudine et colore, ramorum paucitate et pluralitate, foliorum duritie et mollitie, glabritie et hirsutia, vt mihi *Sibiriam* peragranti primis quatuor et quinque annis sic imposuerit, vt tres aut quatuor diuersas illius species statuerim.

Prouenit a *Iaico* orientem versus ad sinarum vsque fines: ad *Lenam* non amplius nascitur, nec ab hinc *Ochotiam* aut *Kamtschatkam* versus.

Radix saepissime vnica est, ad dimidium pedem et dodrantem interdum longa, simplex aut in aliquot brachia diuisa, non raro etiam multae vna constipatae napiformes, crassiusculae, palmares et semipedales, intus candidae, et lacte albo manantes, extra fere carneae aut sordide albidae, veris tempore, quando folia prodeunt, nec planta adhuc in caulem excreuit, succosae, dulces cum suauitate, vt incolis gentilibus, vt et Muhamedanis *Sibiriae* tum crudae, tum coctae escam praestent gratissimam, quae et nobis, pericula instituentibus, talis visa est, quando napi radicum instar coximus, quibus tamen sapidiores has campanulae radices habuimus. Vsum eiusmodi cum praestet sapida radix,

dix, nomine illam cohoneſtarunt gentes *Sibiriae*. Tataris e. g. Crasnoiarenſibus, Belinger, Aſſanis Hingana, Baſchciris Atlyk dicitur. Tatari plantam ipſam Saba vocant. Succoſitas iſta radicum aeſtate perit, vbi nimirum caulis floribus iam exornari incipit, omnino vti in aliis plantis, quarum radices ſuccoſae ſunt.

Caulis plerumque glaber eſt, interdum leui lanugine adſperſus, ad vnum cum dimidio et duos cubitus altus, teres, ſuperiora verſus leuiter ſtriatus aut ſulcatus, ſaepe ſimplex, foliis veſtitus alternis, crebris, firmis, et fere rigidis, ſeſſilibus, lanceolatis, interdum etiam ellipticis ſubito decreſcentibus, acute ſerratis, laete viridibus, infra nitentibus, et ad oras breuibus vix conſpiciendis pilis aſperſis, lobis nonnunquam complicatis. Hocce habitu incedens planta ex alis ſupremorum foliorum, quae minima ſunt, pedunculos promit vnciales et breuiores, tenues, vnico interdum flore terminatos, interdum ſubdiuiſos et totidem floribus onuſtos, in quot pedunculi diuiduntur ramulos, pendulis, odoris non ingrati, ſed remiſſi, mediocris magnitudinis, nonnunquam etiam infra mediocritatem. Calyx pro floris magnitudine paruus, in quinque lacinias anguſtas, paulo reflexas, terminatus, corollam adfixam habet oblongam, plus minus caeruleam, dilutioris tamen ſemper coloris, campanulatam, in quinque acutas, triangulas lacinias ſupraſectam, in cuius fundo quinque ſunt valuae albae, lanuginoſae, quarum ſingulis ſingula tenuiſſima filamenta, hisce denique ſingulae praelongae luteae antherae inſiſtunt. Stilus flore ſaepe duplo longior, ſaepe aequalis, ſtigmate clavato,

vato, poſtea trifido finitus, infra albens, ſupra caeruleo magis colore imbutus.

Eſt etiam alia varietas ramoſa, ſed rami cauli ſere ſunt paralleli, et nihil in latitudinem diffuſi.

Secunda varietas caulem plerumque promit altiorem, vt ſaepe humanam altitudinem attingat, eundemque ſuperiora verſus valde ramoſum, ramis patulis: radicis et foliorum radicalium eadem ratio eſt, ac in planta prius deſcripta. Folia caulina ſaepe praelonga ſunt, anguſta, vt fere linearia dicas, quaedam infra tantum, quaedam per totum ſerrata. Alia pars folia habet latiora ex lanceolato-ouata, acute ſerrata. Flores a duobus ad 7 et 8. in vno ramulo diſponuntur, parui, vncialibus pediculis inſidentes, penduli ſiue nutantes, ſaturius aut remiſſius caerulei, ſtilo violaceo, diuerſae longitudinis, et ſtigmate breui, triplici, albo, ſtaminibusque, quorum filamenta violacea, et apices albidi ſunt, foeti. Calyx nitet et eodem modo diuiſus eſt.

Singularem huic ſpeciei notam adſcribit Cel. LINNEVS, quod caulis antequam paniculam proferat, folia promat, quaſi in roſam diſpoſita, quae vbi panicula excreſcit, per caulem diſpergantur. *V.* H. Vpſ. p. 41. n. 5. Cum in hortis plantam a prima iuuentute non obſeruauerim, confirmare id nequeo.

A *Iaico* ad *Lenam* fluuium et in campis vsque *transbaicalenſibus* indigena planta eſt. GERBERVS in campis apricis *Tauronenſibus* legit. Varietas ſecunda ex occi-

occidente *Ieniſeae* fluuii non occurrit, ad *Lenam* vero hincque *Ochotiam* verſus et in *Kamtſchatka* tota planta deficit.

Icon plantam exhibet, caule ſimplici praeditam, ad viuum et naturali magnitudine pictam *a.* folium eſt radicale.

19. *CAMPANVLA* foliis ex lineari-lanceolatis ſerrulatis, caule ramoſiſſimo.

De hac planta valde dubius ſum, annon eadem ſit, quae prior. Folia radicalia non obſeruaui, licet iisdem in locis proueniat, in quibus prior. Folia caulina interdum obſolete et raro ſerrata ſunt, ſaepe integra, oris ſurſum flexis. Flores magnitudine et colore variant, habitu tamen prioribus accedunt. Radix eadem eſt, eundem vſum oeconomicum praeſtat, et eodem ipſis nomine venit. Nec vel iam noui, qua re eſſentialiter a priori ſpecie differat; vidi enim ſpecimina, quorum rami patuli erant, caule, foliis iisdem, quam prior ſpecies veſtito, in latitudinem notabilem excretis.

20. *CAMPANVLA* foliis ex cordato lanceolatis, caule parum ramoſo, floribus terminantibus, T. XXVII.

Campanula elegantiſſima, GERB. *Cat. Carols. Risl.* 75.

Non prorſus erecta eſt, ſed aliqualiter procumbit. Radicem non vidi. Caulis ſatis ſimplex, pedalis et ſesquipedalis, obtuſus, aliquantum anguloſus, tenuis, ſummitatem verſus in ſpatioque biunciali circiter in quatuor

quatuor aut quinque tenues ramulos vnciales et biunciales diuiſus, quorum ſingulis folia ſubſunt lanceolata, ſummis perparua, imis maiora, multo tamen minora caulina ſunt. Folia inferiora, quorum ima ſubrotunda ſunt, mucrone tamen breui terminata ſinu ad inſertionem pedunculi exſciſſa lata, firma, petiolata.

Ramuli, in quos caulem diuidi dixi, praecipue inferiores, ſaepe adhuc diuiduntur bi - et triſariam, ſingulique rami flore onuſti ſunt oblongo, mediocri, albo, piſtillo, quod tertiam partem floris eminebat, extremitate caeruleo. Sed et aliqui ſolitario flore terminantur. Flores clauſi nutant, aperti eriguntnr. Calyx pentagonus in quinque, raro in quatuor expanſiones anguſtas deſinens, vno vel altero dente inciſas.

In horto ſicco GERBERI nihil ſimile inueni. An fuerit Campanula, Rapuntii folio, floribus pallide caeruleſcentibus, cui campos feros *Tauronienſes* pro loco natali adſignat? Delineari curaui in horto *Carolsruhenſi*, quo a B. GERBERO transmiſſa planta fuit.

21. *CAMPANVLA* foliis lanceolatis glabris, inaequaliter dentatis, vtroque extremo integris, ramis vnifloris terminantibus, Tab. XXVIII.

Campanula vrticae foliis glabra, floribus ampliſſimis pendulis, AMM. *Ruth. n.* 16. *p.* 11,

Caule ſurgit ſimplici, pro ratione tenui, hinc inde flexuoſo, valde folioſo, recto, glabro, pedali et cubitali, ad duas tertias foliis tecto, vix petiolatis, lanceolatis vel ex ouato - lanceolatis, longitudinis circiter

citer biuncialis, ſubtus glaucis, pulchre venoſis, ſupra laete viridibus, mucrone lanceiformi terminatis, integris vel inaequaliter dentatis. Caulis ſic vltra dimidiam partem foliis veſtitus, per biunciale poſtea intervallum euadit nudus tandemque per ſemiunciale aut vnciale ſpatium fatiſcit in aliquot ramulos bi - aut triunciales ramos, vel paulo longiores, ita tamen, vt in extremitate altitudine omnes conueniant, quibus ſingulis in ſummitate flos inſiſtit ſpecioſiſſimus, pulchre caeruleus, breuis, nec longe diuiſus, calyci innixus glabro, quinquefido, vaſculum ſuſtinenti, glabrum, ſpecioſum in tria (forte quinque) loculamenta diuiſum. Staminum, piſtilli, valuularumque ſtructura corolla breuior eſt. Stigma quinquefidum.

Camporum *Argunenſum* maxime amans, vltimo loco ad *Borſam* amnem, *Ononem* ſubeuntem obuiam venit, nusquam alibi.

22. *CAMPANVLA* capſulis trilocularibus tectis, calycis ſinubus reflexis, LINN. *Sp. l. p.* 167. *n.* 23. *Tab. XXIX.*

1. Campanula capſulis trilocularibus calicis ciliati ſinubus reflexis, tectis, foliis criſpis, ramis multifloris.

Campanula hirſuta ocymi folio, caulem ambiente, flore pendulo, BOCC. *Sic.* 83. *t.* 45. MOR. *ox.* 2. *p*, 459. *ſ.* 5. *t.* 3. *ſ.* 26.

1.

1. Eadem floribus albis.
2. Eadem floribus dilutiſſime purpuraſcentibus.

BOCCONIANA figura ſat bene ſe habet, MORISONIANA nil valet: noſtra ad naturam exacta eſt.

Foliis fere linearibus, ſcabris et calicis ſtructura exacte refert violam marianam, facies quamuis diuerſiſſima ſit.

Magnitudo palmaris ad cubitalem. Folia oblonga integra aut crenata, viridia aut incana, plus minus hirſuta, hiſpida interdum, criſpa plerumque et vndulata, ſaepe plana, inferiora bellidis illis analoga, ſaepe linguiformia, linearia quoque et lanceolata. Flores parui. Capſulae et ſtigmata trifida. Per omnem *Sibiriam* frequens eſt. Veterinarii quidam Meſetſchnaja trawa vocant.

23. *CAMPANVLA* calicibus e tergo lamellis quinque notatis, pedunculis vnifloris, Tab. XXX.
Campanula calycibus calcaratis, floribus maculoſis, HALL. *hort. II.* 193.

Radix tenuis et lenta, oblique terrae ima petens, foris lutea, intus alba, vix fibroſa. Caulis teres, firmus, aliquantisper tamen cauus, plerumque e rubente violaceus, plus minus pedalis, interdum palmaris, piloſus. Folia alterna, inferiora pediculis vncialibus et ſesquiuncialibus ſuffulta, ſuperiora breuiſſimis, vel omnino nullis, ouato lanceolata, ſupra viridia, infra incana, vtrinque hirſuta. Flores ex alis foliorum ſu-

premorum, e singulis singuli, magni et speciosissimi, inferiores euidenter petiolati, superiores breuissimis pediculis insidentes, pilis candicantibus hirsutis; vtrique plerumque cernui, foris albentes, intus purpureis punctis, in externam quoque superficiem translucentibus, guttati, ibidemque multa alba lanugine vestiti. Singulis floribus foliolum subest, iis, e quorum alis petioli floriferi exeunt, simile, sed minimum. Filamenta quinque, alba, in fundo floris, apicibus albis instructa ad medium pistilli albi, trifidi et leuiter hirsuti pertingunt. Calyx hirsutus, decemfidus, laciniis quinque longis et erectis, quinque breuibus et reflexis, quae flore marcescente sursum rursus recedunt, et embryonem, cui flos antea insistebat, ab iniuriis defendunt. Fructus tenellus sauciatus succum lateum fundit.

Inter *Olecmense* munimentum et *Iacutiam* vrbem, in montosis apricis ad *Aldanum* et *Bielam* fluuios ad mare vsque orientale occurrit.

Admodum similis est violae mariana, DOD. pemt. 163. esse tamen diuersum, dubium non est.

Icon plantam ad viuum repraesentat. *A.* est folium ex inferioribus caulinis. *B* fructum exhibet maturum, infra tribus fenestris apertum, semina *C.* fundentem.

24. *CAMPANVLA* foliis subasperis, imis longius cordatis, reliquis longe acuminatis, serratis, ala vniflora, HALL. *helv.* 491.

Campanula spicata, scorodoniae folio, AMM. *Ruth. n.* 14. *p.* 10.

Cam-

Campanula menthaſtri folio, BVXB. *Cent. V. Tab. IX.*

I. Corollis candidis.

Icon BVXBAVMIANA monſtrat, non ita ſtatum eſſe eundem florum verſum, vt ab eo deflectere neſas ſit. Haec tamen diſpoſitio ſolennis eſt. Radix fibroſa. Caulis teres. Folia inferiora longius cordata, pediculis vncialibus haerentia. Proxima duo etiam petiolata, ſed ex ouato lanceolata, ſuperiora ſeſſilia, pleraque cordata, infra rugoſa, mollia, vtrinque breuiſſimo vellere pubeſcentia. Flores in longis ſpicis nutantes. Antherae bifidae. Infimi flores in ramis vncialibus racematim quaſi adpenſi.

Cel. MVLLER ex *Tetſchenſi* oppido *Iſetenſis* prouinciae transmiſit, apud *Baſchiros* copioſe quoque inuenitur.

25. *CAMPANVLA* caule angulato ſimplici, floribus ſeſſilibus, capitulo terminali, LINN. *vir. cl.* 16. *ſuec.* 188. *ſp.* 1. 235. *n.* 17. ROY. *lugd.* 245.

Trachelium pratenſe flore conglomerato, MORIS. *hiſt. ox.* 401. *ſ.* 5. *Tab.* 4. *fig.* 43.

Campanula pratenſis flore conglomerato, C. B. P. 94. TOVRN. *inſt.* 110.

1. Eadem floribus albis, H. R. P.

In omni *Sibiria* occurrit.

26. *CAMPANVLA* foliis et ſpica longiſſimis, floribus et ſpica ſeſſilibus in ala congeſtis, HALL. *helv.* 492. *Tab. XXXI.*

Campanula hispida, floribus sessilibus, capitulo terminali, foliis lanceolato-linearibus vndulatis, LINN. *oel.* 115. *suec.* 183. *sp.* 1. *p.* 235. *n.* 18.

Trachelium altissimum hirsutum, asperius, foliis angustis, floribus paruis, BAVH. *hist.* 2. *p.* 801. *t.* 801.

1. Eadem flore pallidiore.

2. Eadem summo caule reflexo.

Radix alba, sapida, digiti minoris crassitie, aut crassior, in quatuor et quinque tenuiores palmares partes plerumque secta, in latum expansas. Caulis sesquicubitalis, angulatus, aut profunde striatus, valde pilosus, superiora versus plerumque cauus, intus medulla arcta farctus, vestitus ab imo ad dimidium foliis vndique sessilibus, linearibus, extremitate acutis, supra sature viridibus, infra pallidioribus et rugosis, vtrinque hirsutis, planis aut vndulatis, in ambitu crenatis, semipedalibus. Infimorum foliorum costae aliquanto praelongantur, vt illae adparenter petiolatae sint. A medio caule folia rarius disposita sunt, octo, nouem, decem, eaque multo breuiora, et lata basi caulem amplectentia. Floralia dici merentur, quia in eorum alis totidem insunt florum admodum compacti glomeres, aliqua parte a foliis mox nominatis cincti, singuli sex ad 20. floribus coagmentati. Saepe tamen sub glomeribus in singulari ala solitarius flos sessilis est. Extremum caulis in speciosum pariter numerosissimorum florum glome-

glomerem definit. Flores oblongi, vncia breuiores, dimidiam fere vnciam lati, e caeruleo purpurascentes. Pistillum dilute violaceum, corolla aliquanto longius. Stigma saturioris coloris oblongum, trifidum, interdum et quadrifidum, laciniis reuolutis, farina quasi alba adspersum. Stamina lutea, pistillo aliquanto breuiora, eidemque adpressa. Calyx breuis, quinque-partitus, laciniis latiusculis.

Russis muscheskoi perepoloch dicitur, quia eius decoctum in terrore, masculino sexui interdum contingente, vtile censetur esse.

A *Iaico* ad *Ienisean* vsque frequens est. Icon sistit supremam et imam caulis partem.

27. *CAMPANVLLA* foliis strictis glabris, integerrimis, radicalibus lanceolato-oualibus, caule vnifloro, Tab. XXXII.

Campanula alpina, folio longiore lucido, TOVRN. *inst. p.* 210.

Radix tenuis, alba, transuersim in terra repens, passim fibrillarum tenuium fasciculos emittens. Caulis ex ea vel vnus, vel duo, sesquicubito saepe altiores, aliquando intorti, infra rubens, postea viridis. Folia ad exortum multa, laete viridia, infra pallidiora, quadriuncialia aut quinqueuncialia, obtusa, pedunculata. Folia caulina aliquantum angustiora, infime petiolata, summa sessilia et fere linearia. Caulis in extremo nudus vnicum florem speciosum sustinet, longum, caeruleum, quinquefidum, pistillo pallide violaceo,

laceo, ſupra triſariam diuiſo. Calyx ſupra quinquefidus, laciniis anguſtis, ad oras aliquantum hirſutis, infra integer, coſtis extantibus notatus, atque ea parte embryonem inuoluens. Singulis calycibus foliolum minimum ſubeſt.

Ad *Lenam* fluuium creſcit.

(28. *CAMPANVLA* caule vnifloro, foliis ouatis dentatis, calyce hirſuto.

Campanula humilis, bellidis folio mucronato, flore maiori caeruleo, STELL. *deſcr. pl. inſ. Bering. n.* 38.

Plantae, quam quidem non vidi, deſcriptionem e codicibus STELLERIANIS immiſceo, cum de illius ſtructura iudicari inde poſſit. Quaerit optimus Vir, an ſit campanula nemoroſa, anguſtifolia magno flore minor, TOVRN. inſt.? Rapunculus nemoroſus magno flore, minor B. pin.? Rapuntium ſ. Erinus magno flore Col. Part. 2. 24? Hanc vero non eſſe, deſcriptio patefaciet.

Radix vnica fibroſa, tenuis, ſesquiunciam longa, alba. Faſciculus foliorum radicalium octo aut decem foliis conſtans, foliis bellidis ſimilium, vncialium, duas tresue lineas latorum, ambitu rarioribus dentibus mucronatorum, vtrinque laete viridium. Cauliculus vnus, aut duo, erecti vel procumbentes, foliis alternis veſtiti. Flos terminalis, vnciam cum calyce longus, erectus, caeruleus, quinquefidus. Calyx monophyllus, hirſutus, e viridi-nigricans in 5. lacinias acutas fiſſus. Filamenta alba, lata. B.

B. STELLER ſub medium Iulii florentem obſeruauit in infortunata illa inſula, quae Directori itineris maris *Kamtſchatici*, BERINGO, ſepulchrum conceſſit, et ab illo nomen mutuata eſt.)

29. *CAMPANVLA* foliis radicalibus obouatis, caulinis lanceolato-linearibus, ſubſerratis, ſeſſilibus remotis, LINN. *fl. ſuec.* 179. *ſpec.* 1. *p.* 264.

Campanula foliis lineari-lanceolatis crenatis, caule longiſſimo, ſimpliciſſimo floribus raris, LINN. *vir. cl.* 17. *H.* CLIFF. 65. ROY. *Lugdb.* 245.

Rapunculus perſici foliis magno flore, B. *pin.* 93.

Campanula perſicae folio, CLVS. *p.* 171.

β. *Rapunculus nemoroſus anguſti folius, magno flore, maior*, B. *pin.* 93.

In omni *Ruſſia* et *Sibiria* vtraque ſpecies, non hoſpes eſt.

30. *CAMPANVLA* foliis radicalibus reniformibus caulinis linearibus, *Fl. lapp.* 83. *fl. ſuec.* 176. *H. Vpſ.* 65. ROY *Lugd.* 247. *ſpec. Tom. I.* 232. *n.* 3.

Campanula minor rotundifolia vulgaris, B. *pin.* 93.

I. Eadem floribus albis.

II. Eadem floribus radicalibus ouatis, floribus minoribus.

Per omnem *Sibiriam* frequentissima est. Varietas II. ideo a me pro varietate habetur, quia non nisi vnicam huius faciei plantam inueni, quae duos proferebat caules. Si species esset distincta, plura sine dubio inuenire exempla licuisset.

31. *CAMPANVLA* foliis linearibus rigidis, integerrimis, longissimis, spica terminante secunda, Tab. XXXIII.

Nec radicem nec folia radicalia vidi, caulis cubitalis, teres firmus, simplex, aliquo vsque nudus, tum foliis dense stipatis linearibus, tres et quatuor vncias longis, lineam circiter latis, rigidis, acutis, apice cartilagineis, intense viridibus, infra dilutioribus, summis vncialibus breuioribusque. Orae horum foliorum saepe inferiorum versus partem reflexae sunt. Duo, tres, quatuor aut plures, flores prioris speciei, similes, aliquando tamen maiores, calicum etiam laciniis parum latioribus, in pedunculis breuibus, simplicibus, vno versu dispositis, simplicibus caulis extremo haerent, petiolis, singulis breuibus substratis, quibus subsunt tres quatuorue ramuli vnciales, et biunciales, biflori, triflori, aut vniflori, idem latus cum prioribus seruantes et spicam secundam fere semipedalem cum iisdem efformantes.

Regio *Transbaicalensis* vnice huius speciei ferax est in campestribus *Vdae*, *Borsae* omnium siccis et lapidosis, Augusto mense florens, vbi itinerum aliquando celerior institutio adcuratiori obseruationi obstitit.

32. *CORNVS* arborea, cymis nudis, LINN. *it. W. goth.* 32. *Spec. pl.* 1. *p.* 171. *n.* 3.

Cornus vmbellis inuolucro multoties longioribus, LINN. *h. Cliff. Spec.* 38. ROY. *lugdb.* 249. HALL. *Helv.* 463. DALIB. *Paris.* 52.

Cornus foemina, B. *pin.* 447.

Virga sanguinea, DOD. *pempt.* 782.

Cornus sylvestris fructu albo, AMM. *Ruth.* 277. *Tab. XXXII.*

I. Baccis albis s. niueis.

II. Baccis subcoeruleis.

Baccis niueis plerumque occurrit vti olim descripsi, vlteriori autem in *Sibiria* saepe etiam vidi coeruleas baccas, sed et saepe vidi alterutrum loculum vacuum, quod forte non raro contigit. Etiam arbuscula non semper erecta est, sed interdum procumbit.

33. *CORNVS* herbacea, ramis binis, LINN. *fl. Lapp.* 65. *t.* 5. 3. *Fl. Suec.* 132. ROY. *lugdb.* 249. LINN. *Spec. pl.* 1. *pag.* 171. *n.* 4.

Cornus pumila herbacea, chamae peridymenum dicta, DILL. *Elth.* 108. T. 91.

Periclymenum humile, BAVH. *pin.* 302. *Norwegicum*, B. *pin.* 302. BVXB. *act.* 3. *p.* 268.

Cl. KRASCENINIKOW ex *Kamtschatka* cum descriptione transmisit, ex qua discimus inuolucro et perian-

rianthio carere, germini enim insidet glandulosum viride corpus, lentem dimidiatam referens, quod stilus persodit. *Kamtschadalis* Kadacham dicitur.

34. *EPILOBIVM* foliis alternis lanceolato - ouatis, LINN. *Spec.* 2. *Tom.* 1. *p.* 493. *n.* 1.

Lysimachia pulchra amygdali folio nitido, rubente caule, flore magno purpureo, H. CATH.

Pistillum vt recte obseruat Linnaeus declinatum, folia alterna. Folia erumpentia revoluta, contra ac in reliquis, flores duplo maiores, folia lanceolata, ouata, non sparsa, vtrinque leuissimo tomento mollissima.

I. Idem corollis albis.

In *Sibiria* non admodum nascitur haec species, nisi huc trahere velis, quod in montosis Baicalis lacus et in inferiore regione *Lenae* fl. non procul ab Irinda insula copiosissime nascatur, vnde etiam transmissa fuit. Ex *Kamtschatka* etiam Clar. KRASCHENINNIKOW transmisit, manente tamen dubio an ille plantam intelligat, quam b. STELLERVS. Nos b. STELLERI plantam intelligimus, quam etiam Cel. LINNAEVS intellectam vult; et omnia ea accommodamus illi, quae iam allegauimus superius.

35. *EPILOBIVM* foliis sparsis lineari lanceolatis floribus inaequalibus, *L. Sp. pl.* 1. *p.* 439. *n.* 1.

Epilobium foliis lanceolatis integerrimis, LINN. *fl. Lapp.* 146. *h. Cliff.* 154. R. *lugdb.* 250.

Lysi-

Lysimachia chamaenerion dicta angustifolia, B. *P.* 245.

Lysimachia chamaenerion dicta alpina, B. *pr.* 116.

In omni *Sibiria* nascitur.

36. *EBILOBIVM* foliis oppositis, ouatis, dentatis, LINN. *Lapp.* 147. *Suec.* 306. *Hort. Cliff.* 145. *Sp. pl.* 1. *p.* 499. *n.* 4. ROY. *lugdb.* 151.

Lysimachia siliquosa glabra maior, B. *pin.* 245.

Pseudo-lisimachium purpureum primum, DOD. *pempt.* 85.

In montibus non infrequens est.

37. *EPILOBIVM* foliis lanceolatis integerrimis, petalis bifidis, *fl. Suec.* 307. *Sp. pl.* 1 *p.* 495. 5.

Epilobium foliis linearibus, *Lapp.* 149.

Folia ex lineari lanceolata sunt plerumque, ceterum non facile haec species distingui potest.

38. *EPILOBIVM* foliis longis dentatis, villosis, flore magno, HALL. *Helv.* 410.

Chamaenerio villosum magno flore purpureo, TOVRN. I. R. H. 303.

In *Sibiria* ad *Irtin* eadem species nascitur, hirsuta quidem, sed prorsus non viridis, vti in *Ingria*, vbi non aliam quam viridem vidi.

39. *ADOXA*, LINN. *h. Cliff.* 253. ROY. *pr.* 252.

In *Kamtschatkam* et in *Americam* septentrionalem vsque nascitur.

40. *RVBIA* foliis quaternis petiolatis, floribus ſtellatis.

Cruciata Daurica ſcandens, ſmilacis folio aſpero, flore luteolo, fructi maiori rubro, MESS. AMM. *Ruth.* 19. *v. fructu nigro ſuccido Cl.* 20.

Rubia peregrina? LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 158. *n.* 2.

Nusquam niſi in *transbaicalenſibus* regionibus prouenit. In horto e ſemine quidem enaſcitur, ſed climatis huius regionis impatiens eſſe videtur, non enim perfert hiemes noſtrates, adeoque fictili committi debet, ſed triſtis ſemper eſt, nec ſcandere amat.

Capreolos vix credo proferre. Quod enim in AMMANIANO libro de capreolis dicitur, id quidem de caulibus intelligendum eſt. Forte *Sinarum* regni indigena planta eſt, accipimus enim inde ſemina, ex quibus eadem planta progerminauit. Sed quod ſemper doluimus, non erat integrum nobis, talem plantam integram accipere.

41. *ASPERVLA* foliis linearibus inferioribus ſenis, int r mediis quaternis, caule flaccido, floribus plerumque trifidis, LINN. *Spec. pl.* 1. 150. *n.* 4.

Rubeola quadrifolia caule ramoſo flaccido floribus trifidis, HALL. RVPP. *Ien.* 8. *Gallium album, tripetalon* MORIS. *pr.* 267.

Rubeo.

Rubeola quadrifolia caule laxissime folioso, flaccido, HALL. *Götting p.* 41.
Asperula foliis quaternis, linearibus, floribus trifidis, HALL. *rec. ed. p.* 186.

Radix multiplex, radiculis tenuissimis, parum ramosis, longis extremum versus, tenuissime capillatis conflatur. Caulis cubitalis, sesquicubitalis, et altior; inferius repit, ibidemque croceus fere est, cetera diffusus, 11 aut 12. geniculis tumidiusculis distinctus, ibidemque saepe quasi infractus, teres, summa versus angulosus. Quatuor aut quinque inferiora genicula vix vnciam distantia loco ex quo caulis erigi incipit.

Rami e singulis geniculis vnus aut duo plerumque fastigium caulis attingentes, geniculati, caulis ad instar, minus tamen subdiuisi. Folia quatuor, quinque aut sex, in summo caule et ramis duo interdum, linearia, vnum et alterum interdum bifidum, inaequalis longitudinis, vtrinque viridia acuta.

Flores ex summo caule et ramis paniculatim prodeunt. Tres nimirum ramuli vnciales, ex duorum foliorum ouato oblongorum aut linearium alis, prodeunt, quorum singulorum extremis duo foliola ouata aut minora affiguntur, e quibus rursus tres ramuli breuiores, horum duo laterales foliola perquam minuta duo in extremo gerunt, quorum alis breuissimis pediculis tres et quatuor interdum flosculi insident. Medius etiam ramulus tribus aut quatuor floribus, ex eodem centro breuibus pediculis prodeuntibus, terminatur. Interdum ramulus secundarius trifariam diuiditur,

tur, nec vlli tertiorum ramulorum foliola subsunt. Flores supra in tres lacinias aliquando reflexas diuisi, infra in tubum cylindraceum desinunt. Calix nullus, stamina tria cum antheris erectis simplicibus, supra corollam parum eminentibus; germen didymum, oblongum, vt et fructus; stilus filiformis, supra bifidus. Quae in horto Academico semina sata sunt, produxerunt plantas corollis plerisque quadrifidis, tetrandris, quibus passim, sed raro, interspergebantur corollae trifidae, triandriae et quod magis miratus sum, tubus floris non erat notabilis et forma floris magis campanulata erat.

In *Isetensi* prouincia passim prouenit.

42. *GALIVM* foliis octogonis lanceolatis carinatis, scabris, retrorsum aculeatis, geniculatis, villosis, fructu hispido, LINN. *Spec.* 1. *p.* 157. *n.* 22.
Aparine vulgaris, B. *pin.* 334.

Passim in *Isetensi* prouincia et ad omnem *Ieniseam* occurrit.

43. *GALIVM* foliis senis, lanceolatis, retrorsum senato aculeatis, mucronatis, rigidis, corollis fructu maioribus, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 153. *n.* 7.
Aparine foliis lineari-lanceolatis, acuminatis, rigidis, corollis fructu maioribus, ROY. *Lugdb.* 233.
Galium caule subaspero, foliis quaternis et senis spinula terminatis, HALL. *Helv.* 460.
Aparine palustris minor, parisiensis, flore albo. TOVRN. I. H. R. 114.

Passim

Passim in *Isetensi* prouincia nascitur.

44. *GALIVM* foliis quaternis obouatis inaequalibus, caulibus diffusis, LINN. *fl. Suec. n.* 119. *Sp. pl.* 1. *p.* 153. *n.* 3.

Galium caulibus diffusis, foliis quaternis verticillatis, LIN. *Lapp.* 52.

Galium palustre album, B. *pin.* 335.

Cruciata palustris alba, TOVRN. *inst.* 115.

Passim prouenit in locis humidis.

45. *GALIVM* foliis octonis lanceolatis mucronatis, serrato - aculeatis, glabris, incuruis, minutum, LINN. *Spec. pl.* 1. *p.* 154. *n.* 10.

Galium foliis senis cuneiformi - lanceolatis, mucronatis, glabris, LINN. *h. Vps.* 28.

Galium saxatile, minimum, supinum et pumimilum, flore luteo, TOVRN. *Inst.* 1152.

Variat floribus trifidis. Folia deorsum ductis digitis aspera. Amat rupestria loca *Isetensis* prouinciae.

46. *GALIVM* foliis senis et nouenis, subasperis, spinula terminatis, HALL. *Helv.* 460.

Galium saxatile glauco folio, BOCC. *Mus.* 2. *p.* 172. *t.* 116.

Galium foliis verticillatis linearibus, pedunculis dichotomis, summo caule floriferis, caule laeui, ROY. *lugdb.* 256. LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 156. *n.* 16.

In rupestribus *Isetensis* prouinciae nascitur.

47. *GALIVM* foliis octonis linearibus ſulcatis, ramis floriferis breuibus, LINN. *h. Cliff.* 34. *Suec.* 116. ROY. *lugdb.* 256. LIN. *Sp. pl.* 1. 155. *n.* 12.

Galium luteum, B. *pin.* 335.

Vbique obuium eſt.

48. *GALIVM* foliis quaternis lanceolatis trineruis, glabris, caule erecto, ſeminibus hiſpidis, LINN. *Lapp.* 60. *Suec.* 118. *h. Cliff.* 64. *Spec.* 1. 20. ROY. *lugdb.* 257.

Rubia pratenſis laeuis acuto folio, B. *pin.* 333. *pr.* 145.

Nihil vulgatius per omnem *Sibiriam* et *Ruſſiam* eſt, vbi vſui tinctorio non raro adhibetur.

49. *GALIVM* procumbens foliis ſenis graciliſſimis, confertis, ſeminibus ſubhirſutis, HALL. *Enum. auct.* 118.

Recte recenſet notas diſtinctionis ill. HALLERVS l. c. vt eis nihil plane addere neceſſe habeam.

50. *VALANTIA* floribus maſculis quadrifidis, pedunculis diphyllis, LINN. *Hort. Vpſ.* 303. SAVV. *monſp.* 163. DALIBARD *paris.* 305. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 1491. *n.* 6.

Cruciata hirſuta, B. *pin.* 335.

Cruciata, DOD. *pempt.* 257.

In *Tomienſi* et *Iſetenſi* prouincia.

CLASSIS

CLASSIS XI.

CALICYFLORAE.

1. CERASVS foliis ouato - lanceolatis, LINN. *vir.* 43.

Prunus vmbellis subsessilibus, foliis ouato - lanceolatis, conduplicatis, glabris, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 679. *n.* 9.

Numerus staminum variat inter 22 et 24. Folia admodum nitent, et attactu viscida sunt. Flores persicae nucleos odore referunt. Frutex raro vlnaris, saepe minor. Caulis spadiceus, saepe cinereus aut halitu quasi cinereo afflatus, vt et rami. Maturus fructus gustu acceptissimus est, remisse acidulus, cum sensu dulcedinis coniunctus. In *Isetensi* prouincia delicias aestatis format, variosque amatores inuenit, nouiter ex *Russia* aduenientes. Inprimis ea, quae montosa incolit loca, multo acceptior est, quia fructus sunt magis excocti. Sub initium Iunii floret, et sub finem Iul. fructum maturare solet.

2. *PRVNVS* inermis, foliis ex lineari lanceolatis, calicum laciniis oblongis.

Amygdalus foliis basi attenuatis, LIN. *Sp. p.* 677. *n.* 3.

Armeniana persicae folio, fructu exsucco villoso, AMM. *Ruth.* 273. *Tab. XXX.*

Amygdalus Indica nana, test. HALLER. *Herbar.*

Flores rubent, laciniae calicis ſerratae ſunt. A *Iaico* ad *Irtin* vsque in locis montoſis, quorum latitudo polaris ſupra quinquageſimum quartum gradum non aſcendit, naſcitur abundantiſſime.

3. *PRVNVS* inermis floribus ſeſſilibus, foliis lanceolatis, calicum laciniis ſubrotundis.

Ramum huius fruticis in campris apricis ſinenſibus, per quos ex *Sibiria* per *Mongalorum* regiones ad Sinas itur, mihi attulit Chirurgus *Heucke*, qui comitatui ſinico interfuit. Ramoſior eſt, foliisque latioribus, quam praecedens flores ampliores, in ſicca planta toti albidi, petula rotundiora calicisque laciniae ſerratae quidem, vt in illa, ſed fere rotundae, fructus iidem, ſed cute villoſa vt illi obducti.

4. *PRVNVS* inermis foliis, ex ouato cordatis, longe mucronatis, fructu exſucco.

Prunus floribus ſeſſilibus foliis ouato oblongis, LINN. *ſpec. Tom. I. p.* 474. 7.

Armeniaca betulae folio et facie, fructu exſucco, AMM. *Ruth.* 272. *t.* 29.

De hac quaerit egregius LINNAEVS, an ſatis diſtincta ſit haec ſpecies a vulgari Armeniaca? Mihi quidem ita videtur. Paſſim in montoſis locis *Ononis* et *Arguni* fluuiorum frequens naſcitur.

5. *PRVNVS* floribus racemoſis, foliis deciduis, baſi ſubtus biglanduloſis, LINN. *ſpec. Tom. I. p.* 6. 77. *n.* 1.

Padus

Padus foliis annuis, LINN. *fl. Lapp.* 198.

In omni *Sibiria* nascitur.

6. *RIBES* inerme, floribus oblongis, LINN. *h. Cliff.* 269.

Ribes inerme racemis pilosis, floribus oblongis, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 291. *n.* 3.

Ribes nigrum vulgo dictum, folio olente, B. *hist.* 2. *p.* 98.

Grossularia non spinosa, fructu nigro, B. *pin.* 455.

In omni *Siblria* frequens est.

7. *RIBES* inerme, floribus planiusculis, racemis erectis, LINN. *h. Cliff.* 82. *sp. pl.* 1. *p.* 291. *n.* 2. ROY. *pr.* 270.

Ribes alpinum dulce, BAVH. *hist.* 2. *p.* 98.

Grossularia vulgaris fructu dulci, B. *pin.* 455.

Ad *Ieniseam* in montosis nascitur: e *Kamtschatca* etiam missa est.

8. *RIBES* inerme, caule procumbente, racemis pendulis, baccis maximis.

Ribes polycarpos Grossulariae fructu, AMM. *Ruth.* 275.

In humilioribus locis ad *Argunum* fluuium occurrit.

9. *RIBES* inerme, racemis glabris, pendulis, floribus planiusculis, LINN. *spec. Tom.* I. 121.

Grossularia multiplici acino s. non spinosa hortensis rubra, B. *pin.* 455.
Ribes vulgare acidum, BAVH. *hist.* 2. *p.* 7.

j. Eadem flore et fructu minore.

In omni *Sibiria* nusquam non obuiam est.

j. Est fruticulus semipedalis, dodrantalis et pedalis aliquousque procumbens, virgis surgens, vix columbinum calamum aequantibus, parum ramosis, simplicibus, duabus aut tribus ex eadem tenui transuersim repente radice surgentibus. Folia superne sature viridia egregie splendent, quasi vernice obducta essent. Flores quam vulgaris minores, e violaceo sordide purpurei oris petalorum sordide albentibus. Fructus dicitur esse dulcior ac Ribes folio olente et minor. Varietas j. ad fontes *Katschae* fl. in abietina silua collecta est.

Fructus rudimentum in planta vel florente adhuc non viride, sed rubrum, a vulgari notabiliter differt.

Ribes ramis aculeatis lateralibus fructu, rubro dulci minori, fere grossulariae spinosae satiuae folio. Obuenit mihi trans *Baicalem* haud procul *Vdinio*, quae STELLERO procul inde in montosis lacus *Baicalis* obuiam facta est, quae sine dubio noua species est, quam vero non ita cognoui, vt distinctam eius ideam habeam, hinc et proponere nolo.

10. *MESPILVS* foliis ouatis integerrimis, LINN. *h. Cliff.* 189. *fl. suec.* 438. ROY. *Lugd.* 271. HALL. *helv.* 352. *spec.* 1. 12. 7.

Conto-

Cotoneaster folio rotundo non serrato, B. *pin.* 452.

Chamaemespilus cordi, B *pin.* 452.

Mespilus folio rotundiori non serrato fructu nigro, AMM. *Ruth.* 279. *Tab.* 10.

Admodum ipsi conuenit cum cotoneastro GESN. a quo nonnisi varietate recedere existimo. Quando enim in humilioribus locis nascitur, baccae sunt omnino non diuersae a baccis cotoneastri. Per omnem autem *Sibiriam* nascitur, et lignum eorum aptissimum habetur ad quaeuis genera tormentorum farcienda, quare et vulgo ad id negotium adhibetur.

11. *CRATAEGVS* foliis ouatis, acutis, serratis, vtrinque glabris, pedunculis simplicibus fasciculatis ex alis.

Crataegus cerasi foliis, floribus magnis, AMM. *Ruth.* 195. 197. *Tab. XXXV.*

Sorbus baccis rubris, folio et ligno fere instar pomorum siluestrium Russis Iablotschky vocata instar sorbi nostri act. nat. cur. vol. III. p. 356. *n.* 21.

In omnibus *Tansbacalensibus* regionibus vt et *Ircutia* et ad *Angaram* et *Baicalem* lacum vbique frequens est, vbi et munuscula culinaria parant ex fructibus huius arboris, quae non male referunt ea ex pomis facta. v. Vaccinium.

12.

12. *CRATAEGVS* foliis obtusis bi-trifidis serratis, LINN. *spec.* 1. 8. *H. Cliff.* 188. *Fl. suec.* 399. ROY. *Lugd.* 272. LINN. *sp. pl.* 1. *n.* 9.

Mespilus apii folio, sylvestris spinosa seu Oxyacantha s. spina acuta, DOD. *pempt.* 751.

In haec specie tres ego semper stilos obseruaui cum stigmatibus capitatis semper virideſcentibus, stamina viginti. Folia ego potius vocarem ex pinnato serrata appendiculata. Duae enim appendiculatae in petiolorum exortu aut et basi folii vtrinque adnascuntur lanceolatae, raro ex ouato lanceolatae, serratae. Haec foliola veris tempore nunquam deficiunt, postea autem defluunt, vt passim vnum, rarissime vtrumque deficiat. Praedicatum obtusi non videtur nomini specifico commode accommodari posse, cum folia saepissime perquam acuta planta proferat. In omni *Sibiria* vt et *Russia* prouenit.

13. *ROSA* calicis foliolis indiuisis pomo globoso, HALL. *Helv.* 347.

Rosa spinosissima, pumila, flore rubro, I. B. 2. *p.* 41.

Vix dubito, quin hanc speciem, quae videtur satis differre non cum sufficienti ratione omiserit egregius LINNAEVS. Multum autem prouenit inter arcem *Vstkamenogorensem* et oppidum *Vstschumischense*.

14.

14. *ROSA* non ſpinoſa calicis foliis indiuiſis, fructu oblongo, HALL. *Helv.* 348.

Roſa campeſtris ſpinis carens, biflora.

j. Eadem cum Gallis.

Naſcitur in omni *Sibiria*: etiam ex *Kamtſchatka* huc miſſa eſt.

15. *ROSA* non ſpinoſa, fructu turbinato.

Roſa ſylueſtris rubella, paruo frutice, I. B. 2. *p.* 35.

Circa *Coliwanenſes* aeris fodinas legi. Etiam ad *Obum* fluuium a D. MARTINI collecta eſt.

16. *ROSA* ſylueſtris ſpinoſiſſima, foliis Pimpinellae glabris, flore incarnato, odoro.

Vix Roſam inuenies, cuius foliola minora ſint, quam in hac ſpecie. Naſcitur paſſim circa *Ircutiam* vrbem.

17. *ROSA* ſpinoſiſſima, calicis foliis interdum diuiſis, fructu ſubrotundo.

Vix mihi dubium eſt, quin ſit Roſa canina vulgo dicta DOD. ſed apud nos calicis foliola non diuiſa ſunt; vidi tamen vna et altera laciniola acuta. Deinde illae plantae, quae in hortum transferuntur plerumque calicis lacinias ramoſiores habent, adeo vt vix credam, tuto ab illis differentiam ſpecificam repeti.

In omni *Sibiria* nascitur, alboque floris colore variat.

18. *ROSA* spinosissima, foliis infra lanuginosis, fructu oblongo spinoso.

Foliorum duo plerumque, raro tria paria et vnum impar. Haec non magna sunt, infra lanuginosa, vix tamen, vt percipi possit, nec supra omni hirsutia destituta. Frutex obscure spadiceus, spinosissimus. Calicis foliola simplicissima. Spinosa est, passim etiam in medio spinae conspiciuntur. Ab Rosa pomo spinoso, folio hirsuto, I. B. forma praecipue fructus differt.

In regione vrbis *Tomii* copiosa est.

19. *SORBVS* foliis pinnatis vtrinque glabris, HALL. *Helv.* 250. LINN. *spec.* 1. *p.* 683. *n.* 1.

Sorbus sylvestris, foliis domesticae similis, B. *pinn.* 415.

Sorbus sylvestris, CAM. *Epit.* 161.

In omni *Sibiria* ad *Oceanum* vsque orientalem nascitur.

20. *RVBVS* foliis quinato-pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis, LINN. *Fl. suec.* 408. *spec. Tom. I. n.* 1.

Rubus idaeus spinosus, B. *pin.* 479.

Russ. малина audit.

21. *RVBVS* foliis quinato digitatis ternatisque, caule petiolisque aculeatis, LINN. *Fl. suec.* 409. *sp. pl.* 1. *n.* 5.

Rubus vulgaris s. Rubus fructu nigro, B. *pin.* 479.

Rubus, CAM. *Epit.* 751.

Ruff. ежевика dicitur.

22. *RVBVS* foliis ternatis, caule inermi, vnifloro, LINN. *fl. suec.* 412. *sp. pl.* 1. *p.* 708. *n.* 11.

Rubus caule vnifloro, foliis ternatis, LINN. *fl. lapp.* 207. *Tab. V. fig.* 2. *H. Cliff.* 192.

Rubus trifolius humilis non spinosus, sapore et odore fragariae, fructu rubro, polycocco, rubo idaeo simili, MESS. 185.

Rubus humilis flore purpureo, BVXB. *cent.* 5. *p.* 13. *t.* 26.

Nascitur in omni *Sibiria* ad *Kamtschatcam* vsque.

23. *RVBVS* foliis simplicibus, lobatis, caule vnifloro, LINN. *spec. Tom. I.* 12. 12.

Rubus caule bifolio, vnifloro, foliis simplicibus. Fl. Lapp. 208. *Tab. V. fig.* 1. *b. Cliff.* 192. ROY. *Lugd.* 279.

Chamaerulus foliis ribes, B. *pin.* 480.

Morus Norwegica, TILL. *Aböens.* 47. *t.* 150.

Vbique in *Sibiria* in *Kamtschatcam* vsque; моропка dicitur.

24. *FRAGARIA* flagellis reptans, LINN. *h. Cliff.* 192. ROY. *p.* 274. LINN. *sp. pl.* 1. *p.* 708. *n.* 1.

j. Eadem flore et fructu maiore.

jj. *Fragaria fructu albo*, TABER. 119.

jjj. Eadem petiolis alatis.

Nascitur cum varietatibus in omni *Russia* et *Sibiria*. Inprimis autem *Isetensis* prouincia in j. varietate producenda mirum valet, etiam varietatem jj. lubenter fert. Vidi quod ad varietatem jjj. ad vnciam longos fructus Russ. земляница dicitur.

25. *POTENTILLA* foliis quinatis, flore tetrapetalo, caule erecto, HALL. *Helv.* 341.

Tormentilla caule erecto, LINN. *spec. Tom. I.* 1.

Tormentilla, CAM. *Epit. p.* 685. BLACKW. T. 445.

Tormentilla sylvestris, B. P. T. I. R. H.

In omni *Sibiria* nascitur.

26. *POTENTILLA* foliis pinnatis, caule fruticoso, LINN. *hort. Cliff.* 193. *Fl. suec.* 416. ROY. *Lugd.* 275. *spec.* 1. *p.* 709. *n.* 1.

Pentaphylloides rectum fruticosum Eboracense, MORIS. *hist.* 2. *p.* 193. *s.* 2. 23. *f.* 5.

Penta-

Pentaphylloides fruticosa, elatior, minus hirsuta, AMM. *ruth. p.* 88. *t.* 17.

Pentaphylloides fruticosa humilior, lanuginosa et incana, Tab. XVIII. fig. 1. AMM. *Ruth.*

Pentaphylloides rectum frutescens, WALTH. *hort.* 95. *t.* 17.

In omni *Sibiria* nascitur.

27. *POTENTILLA* foliis pinnatis, serratis, caule repente, LINN. *Lapp.* 210. *suec.* 215. *sp. pl. n.* 2.

Potentilla, B. *pin.* 322. CAM. *epit.* 758.

In omni *Sibiria* nascitur, saepius ad balnea adhiberi solitum, quibus vtuntur ad aliquid noxium e corpore pellendum.

28. *POTENTILLA* foliis trifidis et pinnatis, subtus albis.

Pentaphylloides humile foliis angustissimis, AMM. *Ruth.* 113. *Tab.* 16.

Folia non recte descripta sunt, debuissent scribi, in inferiori parte alba prorsus, superiori pulchre viridia.

Ex oriente iugi istius *Transbaicalem* lacum, quod a pomis nomen sortitum est, accepi.

29. *POTENTILLA* foliis duplicato-pinnatis, venatis, valde extantibus, subtus albicantibus, caule corymboso. *Tab. XXXIV. fig. 1.*

Stipulae bifidae, quas ſequuntur pinnae ſeptem oblongae, etiam nouem, e directo oppoſitae, nulla parua interiecta, oblongae, caule plerumque rubente, et de hinc per pedale fere ſpatium vnum et alterum adhuc folium emittente.

Occurrit per totam *Sibiriam.*

30. *POTENTILLA* foliis pinnatis ſubaequalibus, foliolis oblongis ſubbifidis, extimis confluentibus.

Pentaphylloides orientale, ſaporum, foliis alatis, bifidis vel trifidis, TOVRN. *Cor.* 21.

Pentaphylloides repens foliis pinnatis, BVXB. *Cent.* 1. *Tab.* 49. *Fig.* 1.

Pentaphylloides ſupinum, minus, folio glabro, non ſerrato, AMM. *Ruth.* 116. (*non ſyn.*)

Pentaphylloides ſupina, minor, foliis alatis, hirſutis, varie diſſectis, AM. *Ruth.* 117. (non LINN.)

31. *POTENTILLA* foliis pinnatis ternatisque, vtrinque viridibus et hirſutis, lobulis acceſſoriis, *t.* 34. *6.*

Potentilla foliis pinnatis ternatisque, extimis maioribus, flagellis reptantibus, LINN. *Spec.* 1. *p.* 710. *n.* 5.

Petioli acceſſorii in inferioribus foliis conſpiciuntur, qui vero quo propriores ſunt baſi, eo minores ſunt, ſteriles, decumbentes.

In

In regione *Tomii* vrbis copiose.

32. *POTENTILLA* foliis ternatis, dentatis, vtrinque subpilosis et viridibus, ouatis, serratis, obtusis. Tab. XXXV.

Potentilla foliis ternatis, dentatis, vtrinque subpilosis, caule decumbente, foliis longiore, LINN. *Spec.* 1. *n.* 26.

Folia interdum fere rotunda, crebre interdum incisa, interdum et inprimis superiora paucis crenis incisa, petala cordata lutea. Tab. 35. I. II. sistunt duas icones et magnitudine et dispositione diuersas, vt varietates distinguantur.

33. *POTENTILLA* foliis ternatis, vtrinque hirsutis, infra candidis, foliolis ouatis, serratis.

Radix lignosa, longa. Cauliculi plerumque rubentes. folia vtrinque pilosa, inferius tamen copioso vellere candicantia, supra vero sature viridia, interdum ternis tantum incisionibus, plurimum tamen crebrius et ab imo ad summum diuisa. Occurrit per omnem *Sibiriam* T. 36. a.

1. Fragaria sterilis folio subtus argenteo, AMM. *Ruth.* 111.

2. Potentilla foliis ternatis, incisis, subtus tomentosis, caule adscendente, LINN. *Spec.* 1. *p.* 715. *n.* 26.

34. *POTENTILLA* foliis ternatis, dentatis, vtrinque tomentosis, caule foliis breuiore, LINN. *Spec.* 1. *n.* 27. *Tab.* 36. *b.*

Fra-

Fragaria sterilis molli lanugine pubescens, AM. *Ruth.* 84. 110.

In allegata descriptione duae plantae confusae sunt. LINNAEI autem descriptio bene se habet, nisi quod flores respectu foliorum magni describantur. Non sunt adeo magni, sed nec adeo parui, vt ea propter notari mereantur.

35. *POTENTILLA* foliis ternatis, foliis lanceolatis, semipinnatis, petiolis filiformibus. Tab. 37. 2.

Fragaria sterilis, procumbens, foliis, Betonicae instar, serratis, AMM. *Ruth.* 109. Tab. XIV.

In hac specie flos admodum speciosus est, et petala sunt cordata, vti in specie nostra 32, et cauliculi duri sunt, quin hac ipsa duritie ab omnibus speciebus se distinguit.

36. *POTENTILLA* foliis ternatis, caule dichotomo, pedunculis axillaribus, LINN. *Spec.* 1. 499. 19.

Quinquefolium hirsutum, luteum, paucioribus laciniis, LOESEL. *Pruss.* 218. *t.* 70.

Passim in *Sibiria* prouenit. Pedunculi vt et cauliculi hirsuti sunt.

37. *POTENTILLA* foliis quinatis angustissimis, subtus tomentosis, caule erecto, HALL. *Helv.* 341.

Pentaphyllum erectum foliis profunde sectis, subtus argenteis, flore luteo, I. B. H. 11. 398.

Argen-

Argentea, incana et viridia ſubtus ſunt folia. Caeterum vbique prouenit.

38. *POTENTILLA* foliis ſeptenatis ſeſſilibus, ſtipulae dilatatae inſidentibus, LIN. *Sp.* 1. 712. *n.* 13. XXXVII. f. 6.

Radix grumoſa et carnoſa, foris flaueſcens, intus albens, nullius autem ſaporis, in plura capita diuiſa. Pediculi quinque et ſex, leuiter rubentes, interdum etiam toti virides, tenues, ſinguli folium ſuſtinentes, circumſcriptione rotundum, in nouem plerumque et decem aequales obtuſas lacinias, ſingulis in extremo pulchre diuiſis ad rachin vsque ſectas. Caules inter ea quatuor aut quinque, infra tantum rubentes, interdum toti virides, duobus vel tribus mollibus venoſis foliis, et ad exortum inſigni auricula oblonga, extremum verſus in duas partes fiſſa, donatis. Flos ramos terminans, pulchre flauus, pentapetalus, aliquantiſper emarginatus, calyce decaphyllo ſuſtentatus.

Iacutiae frequentem obſeruaui.

39. *POTENTILLA* foliis ſenis et ſeptenis, ſtipulis integris, T. 37. b.

Quinquefolio ſimilis enneaphyllos hirſuta, B. *pr. p.* 139. HALL. *Helv.* 339.

Ex HALLERI deſcriptione hanc eſſe iudico. Folia ſaepe ſeptemfida, ſaepe quinquefida ſunt. Flores ſolitarii, rari.

Prouenit in Prouincia *Iſetenſi.*

40. *COMARVM*, LINN. *Lapp. p.* 214. *h. Cliff.* 195. ROY. *pr.* 276. HALL. *Helv.* 337.

Quinquefolium paluſtre rubrum, B. *pin.* 325.

In omni *Sibiria* naſcitur.

41. *SIBBALDIA* foliolis tridentatis, LINN. *Fl. Lapp.* 111. *Fl. Suecic.* 260. HALL. *helv.* 342. ROY *lugdb.* 276.

Fragariae affinis ſericea incana, B. *pin.* 327. *prodr.* 139.

Fragariae ſylueſtri affinis planta, flore luteo, SIBB. *Scot.* 2. *p.* 25. *Tab.* 6. *f.* 1.

Pentaphylloides fruticoſum minimum, procumbens flore luteo, PLVK. *alm.* 284. *t.* 212. *f.* 3.

Fragaria rupium humilis, et procumbens folio glabro viridi, apice bis vel ter diuiſo, flore minore luteo, STELL. *Irc.* 406.

STELLERVS intra valles editiſſimarum, praeruptarum, perpetua niue rigentium rupium ad *Barguſinum* fl. et ad *Baicalem* lacum inuenit.

42. *SIBBALDIA* foliolis linearibus multifidis, LINN. 22. 2.

Pentaphylloides foliis tenuiſſime laciniatis floſculis carneis, AMM. *Ruth.* 112. *t.* 15.

Pentaphylloides tenui folium flore paruo purpuraſcente, STELL. *Irc.* 421. 422 *et* 424.

j. Ea-

j. Eadem pumila et flore maiore.
Pentaphylloides tenuifolium flore purpurascente ampliori, STELL. *Irc.* 423.

In *transbaicalensibus* regionibus nusquam non obvium est. Humilior planta, praeterquam quod folia parcius sint diuisa, et saepe trifida tantum, semper est flore ampliori, sed et in elatiori varietate, vbi flores plerumque ita parui sunt, vt vix e calyce emineant, in maiorem amplitudinem non nunquam excrescunt, vti varietati contigit, quae in flora *Ircutensi* no. 424. recensetur. In vtraque porro varietate flos plurimam partem purpurascit, sed et non raro candidus est. Nascitur in omni *transbaicalensi* regione, aspera et sicca loca amans, licet enim nonnunquam etiam ad fluvios occurrat, id fit in ripis lapidosorum fluuiorum.

Mirum hanc plantam in horto Academico iam multos annos quotannis vegetam prouenire, sed ad florum emissionem non prouenire.

43. *DRYAS* pentapetala foliis pinnatis, LINN. *amoenit. Academic.* 2. *p.* 353. *Spec.* 1. 501. 1.

In *Kamtschatca* teste LINNAEO nascitur. Ad *Lenam* anno 1737. cum reditum moliremur, *Iacutiae* proxime sequens species oblata est, quae cum pictori tradita esset ad delineandum, ab alio qui viderat, at ipse inuenerat eandem herbam octopetalam facile persuasus fuit, se errorem in delineando fecisse, adeoque ad illum recteficandum floris pentapetalo octo petali adpinxit.

44. *DRYAS* octopetala, foliis ſimplicibus, LINN. *Spec.* 1. 2. *DRYAS* LINN. *Fl. Lapp.* 215. *Suec.* 426. *Hort. Cliff.* 195. ROY. *lugdb.* 279. HALL. *Helv.* 335.

Chamaedrys 3. *ſ. montana*, CLAS. *hiſt.* 2. *p.* 357.

An ea ſpecies, quae in montoſis locis *Lenae* fluvii vt et *Aldani*, *Maiae* et *Iudomae* fluuiorum paſſim naſcitur prorſus viſcoſa et folio longiori aliquantiſper praedita ſit prorſus eadem, nec ne, diiudicent illi, quibus haec loca inueſtigare librum eſt?

45. *GEVM* floribus erectis, fructu globoſo ariſtis vncinatis, nudis, foliis lyratis, LINN. *h. Cliff.* 195. *Suec.* 423. ROY. *lugdb.* 276.

Caryophyllata vulgaris, BAVH. *pin.* 321.

Cariophyllata, DOD. *pempt.* 137.

Naſcitur in omni *Sibiria*.

46. *GEVM* floribus nutantibus, fructu oblongo ariſtis plumoſis, LINN. *Hort. Cliff.* 195. *Fl. Suec.* 424. ROY. *lugdb.* 276.

Geum riuale, LINN. *Fl. Lapp.* 216.

Caryophyllata aquatica, nutante flore, BAVH. *pin.* 321.

Caryophyllata ſeptentrionalium, LOB. *ic.* 694.

β. *Caryophyllata aquatica altera*, BAVH. *pin.* 322.

Naſcitur in omni *Sibiria*

47. *SPIRAEA* foliis lanceolatis, obtuſis, ſerratis, nudis, floribus duplicato-racemoſis, LINN. *h. Cliff.*

Cliff. 199. *Vpſ.* 139. ROY. *lugdb.* 277. LINN. *Sp. pl.* 1 *p.* 700. *n.* 1. Tab. XXXIX.

Spiraea Theophraſti forte, CLVS. *Hiſt.* 1. *LXXX.*

Frutex ſpicatus foliis ſerratis ſalignis, BAVH. *pin.* 475.

Spiraea ſalicis folio longiori ſerrato, floribus rubris, AMM. *Ruth.* 265.

Spiraea ſalicis folio breuiore latiuſculo crenato floribus rubris, MESS. AMM. *Ruth.* 266. *Tab. XXVIII. mala.*

In omni *Sibiria* naſcitur.

48. *SPIRAEA* foliis ouatis crenatis.

Spiraea Betulae folio Ind. Irc.

Ex *Maia* fl. ad me miſſa eſt.

49. *SPIRAEA* foliis oblonge ouatis, ſupra ſaepe crenatis pedunculis ſimplicibus.

Spiraea Chamaedryos foliis, AMM. *Ruth.* 269.

Spiraea foliis ouatis inciſo-ſerratis glabris, vmbellis floralibus integerrimis pedunculatis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 701. *n.* 9.

Spiraea praecox montana, folio paruo in ſummitate bifido vel trifido. Ind. Ien. n. 1123.

Copioſus prouentus eſt harum ſpiraearum, vt non facile ſit eas ab inuicem diſtinguere. Folia obtuſa aut acuta, glabra aut ſubhirſuta, integra ſupra crenata

nata quae foliis eſt integris aut raro crenatis, illa eſt planta humilis et in aridis altioribusque montium locis naſcitur. Haec ſaepe reſpondet Germanicae tam integritate quam ſubrotunda foliorum forma, quae vero alio tempore oblonga ſunt et crenata. Altera humanae altitudinis eſt, vti Hiſpanica et ſecus fluuios potiſſimum naſcitur. Eſt et quaedam intermedia non tam ſed illi fluuiorum caetera ſimilis, quam AMM. 170. deſcripſit. Etiam praeter floralia ſaepe et reliqua integra ſunt, qualia et ſaepe ſerrata. Deinde anguſta folia plures tribus longitudinalibus neruis oſtendere nequeunt, cum lata plures eosque obliquos nervos oſtendant. BARRELIERVS etiam, licet aliquousque videatur agnoſcere ſpecies illas quae tribus neruis longitudinalibus praeditae ſunt, et notanter diſtinguat, videtur tamen ad illas non tam exacte obſeruaſſe.

Ceterum notandum hancce ſpeciem hiſce varietatibus obuiam in *Iſetenſi* prouincia ad *Irtin* vsque fluvium quam maxime prouenire, nec vsquam adeo conſpicuam eſſe.

50. *SPIRAEA* foliis late ouatis, ſupra ampliatis ex inciſo-ſerratis, pedunculis ſimplicibus.

Spiraea ramoſiſſima paruo ſubrotundo opuli folio, AMM. *ruth.* 271.

Ab *Ieniſea* in *transbaicalenſes* vsque regiones naſcitur.

51. *SPIRAEA* foliis pinnatis, foliolis vniformibus ſerratis, caule fruticoſo, floribus paniculatis, LIN. *Sp.* 1. *p.* 702. *n.* 7. T. XL.

Spi-

Spiraea foliis pinnatis, AM. *ac.* 2. 352.
Spiraea ſorbi folio tenuiter crenato, floribus in thyrſo albis, AMM. *Ruth.* 264.

Ab *Ieniſea* fluuio in regiones *transbaicalenſes* et ad *Lenam* vsque fluuium naſcitur.

52. *SPIRAEA* foliis pinnatis, foliolis vniformibus ſerratis, caule herbaceo, floribus cymoſis, LIN. *Sp.* 1. *p.* 702. *n.* 9.

Filipendula foliis pinnatis, foliolis vniformibus, LIN. *h. Cliff.* 191. *Fl. Suec.* 404. *Mat. med.* 241. ROY 1. 277.
Filipendula vulgaris, BAVH. *pin.* 163.
Filipendula, CAMERAR. *Ep.* 608.

A *Iaico* ad *Obum* vsque naſcitur.

53. *SPIRAEA* foliis pinnatis, impari maiore lobato, floribus cymoſis, LIN. *Fl. Lapp.* 201. *h. Cliff.* 291. *Fl. Suec.* 405. *Mat. med.* 241. *Sp. pl.* 1. *p.* 702. *n.* 10. ROY *l.* 277.

Barba Caprae floribus compactis, BAVH. *pin.* 164.
Regina prati, DOD. *pempt.* 57.

Naſcitur in omni *Sibiria*.

54. *SPIRAEA* foliis pinnatis, folio impari maiore lobato, fructibus rectis hiſpidis.

Ad *Ieniſeam* fluuium naſcitur, vbi vnicam hanc ſpeciem inueni, vt de illa nequaquam certus ſim.

55.

55. *SPIRAEA* foliis multifidis, angulatis, fructibus rectis, hiſpidis, petiolis adpendiculatis.

Vlmaria ricini folio, STELL. *Cat. pl. rar. n.* 15.

Vaginae quinque. Calycis foliola quatuor. Schlamda *Kamtſchadalis* dicitur.

56. *SPIRAEA* folio impari maiori multifido.

Vlmaria foliis profunde laciniatis, AMM. *Ruth.* 97.

Variat foliorum amplitudine, nec vnquam adeo anguſtas lacinias vidi, quam ad Argunum fluuium, nec adeo amplas, quam in *Kamtſchaticis*. Ceterum petioli non carent paruis laciniis.

57. *SPIRAEA* foliis ſupra decompoſitis, ſpicis paniculatis, floribus dioicis, LIN. *Sp.* 1. *n.* 8.

Aruncus, LIN. *h. Cliff.* 463. ROY. *lugd.* 218.

Barba Caprae floribus oblongis, BAVH. *pin.* 163.

Barba Caprae, CAMERAR. *hort.* 26. *t.* 9.

Paſſim in *Sibiria*, quin et in *Camtſchatka*, ſed raro, naſcitur.

CLAS-

CLASSIS XII.

RINGENTES.

1. DIGITALIS calycinis foliis lanceolatis, corollis acutis: labio superiore bifido, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 867. *n.* 2.

Digitalis foliis calycinis subulatis, ROY. *lugd. p.* 293.

Digitalis maior lutea s. pallida paruo flore, BAVH. *pin.* 224.

Foliola calycina oblonga sunt, quaedam carinata, alia plana, ex lineari lanceolata, suprema reliquis angustius et paulo breuius; proxima ei paulo latiora et longiora, duo anteriora siue inferiora omnium longissima, exigua tamen differentia, haecque propter tubum praeminentem apice reflexa, quum reliqua tota erecta sint. Flos interne et externe pilosus. Pili interni longiores, laciniae in medio omnes acutae. Stigma obtusum.

In *Isetensi* prouincia habitat.

2. *SCROPHVLARIA* foliis cordatis serratis acutis, basi rotundatis, caule obtusangulo, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 863. *n.* 1.

A *Iaico* fluuio ad *Ienisseam* et *Angaram* vsque passim nascitur.

3. *SCROPHVLARIA* foliis cordatis trineruatis, caule acutangulo, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 863. *n.* 2. *Scrophularia nodosa foetida*, BAVH. *pin.* 235.

In regione *Ienifeae* vrbis copiose prouenit.

4. *SCROPHVLARIA* foliis linearibus ex pinnato-dentatis, floribus longe racemosis terminantibus.

Scrophularia exiguo Veronicae et Coronopi folio, STELL. GMEL. *mst.*

Scrophularia odore singulari, STELL. *Irc.*

Descriptionem huius plantae exhibeo, factam ad specimina, in collectione herbarum STELLERIANA conseruata, doleo autem non posse me communicare Iconem, vix enim credo ex delineationibus, quas parare curaui, sculptorem sapere posse. Inter plantas B. PATRVI non inueni.

Radix crassa, ad exortum pugno aliquantum inferior, alba, multisque fibris crassis et tenuibus stipata. Caules numerosissimi, bicubitales, aliquantum procumbentes, firmi, crassi, angulosi, ab ortu ad summitatem ramosissimi, ramis ad ipsius caulis altitudinem plerumque pertingentibus, tenuibus, ad quorum exortum folia prodeunt parua, oblonga, profunde incisa, et interdum in lobos diuisa, tuncque coronopi foliis non admodum dissimilia. Rameis foliis respondent caulina. Caulium ramorumque summitas longa et rara spica terminatur, constante floribus exiguis, breuibus atque, vt videtur, atropurpureis, in tres lacinias breuissimas expansis. Stamina quatuor e

fundo

fundo floris surgunt, apicibus rubellis instructa. Inter ea stylus disponitur simplex apice incuruns, ex ouario veniens, quod in pericarpium bicapsulare abit.

5. *SCROPHVLARIA* foliis cordatis duplicato-serratis, racemo composito, ROY. *lugdb.* 294. LIN *Sp. pl.* 2. *p.* 864. *n.* 5.

Scrophularia scorodoniae folio, MORIS. 2. *p.* 482. *s.* 5. *t.* 35. *f.* 6.

Scrophularia melissae folio, TOVRN. *Inst.* 166. STELL. *Irc.*

Plantam hanc B. STELLER. ad lacum *Baikal* obseruauit; quae de illa memoriae reliqu't, sequentibus Lector, accipe. Perennis et admodum fruticosa in arenosis littoribus lacus BAIKAL occurrit, primum visa ad sinum *Pestschana* Guba dictum, et abhinc vbique. Radice nititur sua pro annositate ad coronam modo pugnum, modo pollicem, crassa, dodrantali, lignosa, tereti, foris fusca, intus flauescente, multis fibris stipata, senio valde confecta, duos dodrantes longa in arenam leuem demittitur. Caules modo vnum, modo ad triginta partim erigit, partim per terram in orbem spargit, pedales et cubitales. Iuniores scilicet caules sparsos, seniores erectos firmioresque seruant. Caules ad exortum vltra dimidium purpurascunt, et folia emittunt plurima, glabra, turbide viridia, ambitu serrati, in quibusdam leui purpura adspersa, pediculis vncialibus fulta, alternoque ordine bina semper e caule tereti plerumque hexangulo prodeunt. Folia maxima $1\frac{1}{2}$ vnciam aequant, dimidiam latitudine; re-

liqua flores versus sensim breuiora et angustiora, melissae folia non male referentia. Flores occupant vnam tertiam partem caulis, pediculis vncialibus suffulciuntur; illis emarcidis succedunt fructus rotūndi, acuminati, primo virides, maturitate purpurascentes, senio confecti, albi, bifariam dehiscentes, septo intermedio in duo loculamenta diuiso, foeti seminibus plurimis nigricantibus, minutis, ouatis. Floret haec scrophularia ab initio Iunii ad medium Iulii, semina absoluit sub initium Augusti.

6. *ANTIRRHINVM* foliis lanceolato-linearibus, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 858. *n.* 33. ROY. *lugd.* 297.

Florum colore, foliorum latitudine, caule erecto vel procumbente mirum haec planta, variare solet, vt apta quasi prae aliis videatur, hybridas species producendi. Cl. PATRVVS aberrationes sequentes enumerauit.

α. Linaria lato lini folio, flore pallido, rictu aureo.
β. Linaria lato et breui lini folio, flore pallido, rictu aureo, non ramosa.
γ. Linaria lato longoque lini folio, flore pallido, rictu aureo, multiflora.
δ. Linaria latifolia humilior, flore pallido e foliorum alis, rictu et calcare aureo.
ε. Linaria lato et longiore acuto mucrouato lini folio, flore pallido, rictu aureo.

ζ. Li-

ζ. Linaria latifolia humilior, flore pallido, rictu aureo, folio oblongiore.

ϑ. Linaria longo et angusto lini folio, flore pallido, rictu aureo.

η. Linaria angustifolia, flore pallido, rictu et calcare aureis.

ι, Linaria flore pallido, rictu et calcare aureis, tenerior et ramosa.

κ. Eadem cum η, sed spica florum longior est.

λ. Linaria folio vario.

μ. Linaria inferioribus foliis latioribus, superioribus angustioribus.

ν. Linaria polygalae folio.

ξ. Linaria supina et repens.

Nascuntur in omni *Sibiria*.

7. *ANTIRRHINVM* foliis linearibus semicylindraceis, carnosis.

Linaria pumila supina lutea, BAVH. *pin.* 213. GERB. *Trans.*

Linaria pumila flore paruo, calice floris hirsuto, STELL. *Irc.* 132

Antirrhinum foliis subquaternis linearibus, caule diffuso, floribus subspicatis, nectario recuruato, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 856. *n* 24?

Radix inter rupes delitescit, et tenuis est. Caulis inter palmum et dodrantem variat, interne purpureo-violaceus, superne e glauco-viridis, teres, erectus, circa medium in duos aut tres ramos diuisus, aut et a me-

a medio aliquo interuallo duos aut tres ramos emittens, caule vel aeque longos vel breuiores. Folia caulina, admodum conferta, alterna, vncialia et sesquivncialia, semicylindracea, superna nempe parte caua, inferna gibba, latitudinis dimidiae lineae, aliquantum e glauco viridia, carnosa. Flores ad extremum caulem laxe spicati. Labium superius ad tertiam partem, bifidum, inferius amplum, trifidum, laciniis sabrotundis, intermedia lateralium vix subdupla. Palatum medium hirsutum. Nectarium subulatum, compressum, longitudine corollae. Antherae filamentis insidentes conniuentes flauescentes. Germen subrotundum. Stilus simplex, breuioribus staminibus longior, longioribus breuior. Stigma obtusum. Capsula verticaliter turbinata, bifariam septi ope diuisa. Semina nigra, membranacea, reniformia. Receptaculum ouatum, tuberosum. Calix quinque partitus, breuis, laciniis oblongis, latiusculis, obtusis, albicantibus, pilis rigidiusculis hirtus.

In rupibus *Isetensis* prouinciae in vicinia arcum, *Tschebarculensis* et *Velycaragaiensis* sub initium mensis Iulii floret.

8. *CYMBARIA* daurica pumila incana Linariae folio, magno flore luteo, guttato, MESS. *Xen. Isid. Sibir.* AMM. *ruth. p.* 36. *Tom. I. fig.* 2.

Chamaeiasma, GMEL. *Ms.*

Phyloma Linariae folio, GMEL. *mst. obseru. in hist. nat. n.* 87.

Antirrhoides Linariae folio argenteo, flore flauo, STELL. *Irc.*

Cym-

Cymbaria, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 861. *n.* 1.

Plantam propono, quam primus MESSERSCHMIDIVS inuenit, PATRVVS postea in montosis *Schilkae* et *Arguni* fluuiorum legit, STELLERVS vero non solum ad *Baikal*, sed et quaquauersum ad *Bargusini* fluuii ostium deprehendit, quamque AMMANVS ex doctorum horum peregrinatorum communicatis exhibuit; sciendum enim est, styrpes illius ruthenicas non nisi primas illas descriptiones esse, quas PATRVVS academiae misit collatas cum Mstis B. MESSERSCHMIDII.

Radix Cymbariae fibrosa est, tenuis, foris e fusco rubens, fere lignosa, leuiter in sabulo haerens, inque eo viticulis quibusdam transuersim repens. Caules e radice egredeuntes tres vsque ad octo, teretes, palmam plus minusue longi, incani, rari aut nonnisi in summitate ramosi, foliis stipati frequentibus ex aduerso binis cruciatim dispositis, sessilibus, pollicem longis, lineam latis, apice acutis, Linariae foliis similibus, incanis. Aut ex alis foliorum aut in summo caule flores surgunt admodum speciosi, modo vnus, modo duo, modo et, obseruante STELLERO, quatuor, forma crucis sibi inuicem adpositi, pollicem vnum vna cum tubulo longi, grati odoris, interne flaui, et versus inferiorem partem punctis rubris variegati, externe dilutioris coloris, rictum exprimentes, in duo labia distincti, quorum superius duobus aequalibus segmentis bifidam, inferiori labio ter diuiso angustius et breuius est. Flores calyce obuoluuntur anguloso, argenteo, multi-

multipartito, laciniis duodecim: duabus oppositis, firmis patentibus, reliquis erectis linearibus. E fundo calycis pistillum surgit, quod circumdant filamenta quatuor e tubo florum prouenientia, instructa antheris albis, bifidis et seorsum flexis. Ouarium maturescens in testam abit ouato-acuminatam, a latere nonnihil compressam, septo intermedio in duo loculamenta diuisum, fructus Adhatodae forma, seminibus foetam, placentae adfixis. Radix huius plantae perennis est, et quouis anno noua germina protrudit, caules vero sub finem autumni pereunt. Prouenit tam in rupibus succioribus, quam et in siccis planitiebus desertorum.

9. *DODARTIA* orientalis, flore purpurascente, TOVRN. *itin.* 3. *p.* 203. *t.* 208.

Coris Iuncea aphyllos, GMEL. AMM. *ruth.* *n.* 46. *t.* 5.

Dodartia foliis linearibus integerrimis glabris, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 883. *n.* 1.

Nascitur ad *Irtim* fluuium in superiore eius regione. GERBERVS ad *Tanain*, Cel. LERCHIVS ad *Wolgam* collegit.

10. *MELAMPYRVM* floribus secundis lateralibus, coniugationibus remotis, corollis clausis, LIN. *sp. pl.* 2. *p.* 843. *n.* 4.

Melampyrum foliis lanceolatis, florum paribus remotis, LINN. *fl. lapp. p.* 240.

Nascitur a *Iaico* ad *Ieniseam* vsque fluuium, ad hunc tamen parcius, vlterius prorsus deficit.

11.

11. *BARTSIA* foliis lanceolatis indiuisis, floralibus incisis, Tab. 42.

Pedicularis foliis Lini angustioribus, TOVRN. I. R. H. 172. *Ind. Len. n.* 322.

Pedicularis Nigellastri folio, STELL. *Irc.* 138.

Bartsia foliis alternis bidentatis, LINN. AMM. *ac.* 2. *p.* 356.

Bartsia foliis alternis lanceolatis integerrimis, floralibus ouatis dentatis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 839. *n.* 2.

Radix fibrosa est, fibris crassiusculis lutescentibus. Caules ex illa prodeuntes plures simplices, ex violaceo-rubentes, angulosi, teretes, plerumque hinc inde torti, breui lanugine hirsuti, et tanquam farina adspersi, stipati foliis per vncialia plus minus, interualla alternis, lineari-lanceolatis, tomentosis, trineruiis, pallide viridibus, sessilibus inferioribus omnino indiuisis, superioribus autem floralibus, calyces obuoluentibus, incisis, coloratis, latioribus. Vnusquisque caulis spica terminatur vnciali et sesquiunciali, laxiore, foliosa, et multa lanugine insigni. Calyx pilosus, ex albo virescens, in duas lacinias finditur, quarum quaelibet in duos longos et angustos apices desinit. In eo flores latent exigui, labiati. Inferius labium externa parte Melonis ad instar costatum nunquam explicatum est, sed cauum, in tres angustas, oblongas et obtusas lacinias finditur; colore gaudet dilute corneo: superius integerrimum, laete viride, in luteum aliquantum, et ad oras

anterius purpurascens, longitudinaliter conniuet. Posterior floris pars in tubum desinit longum et albentem, e quo stamina prodeunt erecta, albentia, duobus breuioribus instructa antheris flauescentibus, labio superiori vicinis. Pistillum vt in congeneribus. Folia floralia caulinis multo latiora, sed breuiora, tribus tamen, vt illa insignioribus neruis distincta, purpurascentia lanuginosa, abeuntia in mucronem longum, cui ad latera aliae plerumque laciniae adponuntur. Fructus oblongus est, fere conicus, acuminatus, fuscus, in parietibus, quibus septum adfixum est, secundum totam longitudinem sulcatus, maturitate longitudinaliter et perpendiculariter ad septum dehiscens, foetus seminibus plurimis subrotundis, compressis, asperis.

I. Variat caulibus albentibus, foliis floralibus, calyce labiique inferioris laciniis ochroleucis.

II. Ill. LINNAEVS folia dentata dicit, nostrae vero integerrima sunt, floralia vero ouata.

Florere incipit versus medium Iunii, fructus medio Augusti maturat. Inter *Kirengam* et *Iacutiam* vrbem, quin ad *Schiganensia* vsque hybernacula frequentissime occurrit. Icon sistit plantam, spica florum ochroleuca, cui sub litera *A* spica adiecta est, qualis describebatur, et in illo *x* flos est, labium superius, *b.* inferius, (*c. c. c. c.*) calyx, *d.* folium florale, a calyce reflexum, *e.* fructus imaturus, *f.* maturus, *g.* femina.

12. *RHINANTHVS* corollarum labio superiore breviore, LINN. *Lapp.* 248. *H. Cliff.* 325. *sp. pl.* 2. *p.* 840. *n.* 3. ROY. *lugd.* 248.

In

In omni *Sibiria* abunde nascitur.

13. *PEDICVLARIS* caule ramoso, floribus solitariis, calycibus quinquefidis, crenatis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 845. *n.* 2. *cum synon.*

Pedicularis palustris rubra, repens, pusilla, STELL. *Irc. n.* 136.

STELLERVS in regione *Ircutiae* vrbis circa stagnum, in vertice alicuius rupis inuenit, longitudine vix pollicis vnius, humi repentem.

14. *PEDICVLARIS* caule ramoso, calycibus bifidis crenatis, LINN. *fl. suec.* 505. HALL. *helv.* 621. *cum synon.*

Pedicularis caule ramoso, calycibus calloso punctatis, corollis labio obliquis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 845. *n.* 1.

Frequentissima occurrit ad vndas et vliginosa loca. per omnem *Russiam*, *Sibiriam* ad *Bargusinense* munimentum vsque. Varietatem floribus candidis, ad Angaram fluuium STELLERVS legit. Floret mense Iulio et Augusto.

15. *PEDICVLARIS* caule ramoso, calycibus oblongis quinquefidis crenatis, floribus laxe spicatis. Tab. XLIII.

Pedicularis folio Cederach, colore floris vario, GMEL. *Ind. cen.* 374.

Crista galli, STELL. *Irc. n.* 145.

Radix napiformis, guſtus ſaporis amaricantis. Caules ex illa multi ſurgunt, quod pictor in icone obſeruare neglexit, dodrantales et minores, leuiter hirſuti, ad dimidium fere rubentes, valde ramoſi, vt planta fruticuli ſpeciem magis, quam herbae habeat. Folia ad terram multa, ordine vel nullo, vel alterna, in pinnulas leuiter dentatas diuiſa, alia laciniata, alia fere integra, vtrinque laete viridia. Flores in ſingulorum ramorum ſummitatibus, prodeuntes vel e foliorum alis, vel in ſpica ſeorſim, quidam pallide flaui, quidam coloris ſpadicei. Labium ſuperius galeatum et ad latera compreſſum, ſordide flauum, intus purpuraſcens: labium inferius luteum, purpureisque punctis ornatum, tripartitum, media fiſſura excauata, prominente et deorſum flexa. Filamenta albentia. Antherae ex viridi-luteſcentes. Piſtillum e ſuprema galeae parte eminet, vnci in modum incuruum. Fructus, calyce obuolutus, auium roſtrum refert, maturitate dehiſcit, et ſemina dat oblonga, craſſiuſcula, acuminata, fuſca. Calyx anteriore parte ſatis profunde ſectus eſt, et poſteriore tribus laciniis fit inſignis, quarum media anguſta et acuta. Prouenit ad omnem Lenam, medioque Iulio florere, et medio Auguſto fructum perficere incipit.

16. *PEDICVLARIS* caule ſimplici, foliis lanceolatis crenatis, crenis ſerratis, floribus reſupinatis, Tab. XLIV.

Pedicularis elatior latifolia, floribus purpureis, AMM. *ruth.* 42.

Pedicularis folio pulchre ſerrato purpureo, STELL. *Ire.* 141.

Pedi-

Pedicularis caule simplicissimo, foliis lanceolatis serratis crenulatis, floribus resupinatis, LINN. *sp. pl.* 2 *p.* 846. *n.* 6.

I. Eadem floribus carneis.
II. Eadem floribus lacteis.

Radix perennis, fibrosa. Caulis vel vnus vel plures, ad sex vsque, pedales, cubitales, quin et altiores, hinc inde et imprimis summitatem versus rubentes, pennae anserinae crassitie, vel glabri, vel multum hispidi, vel teretes, tuncque frequentibus striis eminentibus asperi, vel quadrati, versus fastigium lanugine alba vestiti. Folia alterna, lanceolato-oblonga, vel sessilia, vel breuissimis petiolis insidentia, vel vtrinque laete viridia, vel inferne nonnunquam multo pallidiora, granulosa, et hirsuta, plus minus biuncialia, et ex basi semiunciali, in acutum mucronem abeuntia, serrata, serraturis pulchre crenulatis, superne minora, magisque inferius lanuginosa. Flores ex alis superioribus laxe spicati, aut arctius congesti, sessiles, resupinati, sature purpurei, maiores. Labium superius falcatum, et ad oras virescens: inferius amplissimum, in tres lacinias solete ob diuisum, media omnium minima et cochlearis ad instar excauata, lateralibus amplissimis. Stamina rubentia, hirta. Antherae oliuaceae. Calyx bifidus. Fructus ad illum accedere videtur, quem *P.* cristata gerit. Maturum tamen itineratores non inuenerant; planta quamuis, quae Russis черно черноголовникъ dicitur, ad *Lenam* et in omni *Sibiria* frequentissima crescat.

17. *PEDICVLARIS* capſulis ſubrotundis regularibus, ROY. *lugd.* 299.

Pedicularis caule ſimplici, floribus terno-verticillatis, corollis clauſis, cœlycibus crenatis, capſulis regularibus, LINN. *fl. ſuec.* 806. *ſp. pl.* 2. *p.* 545. *n.* 4.

Sceptrum Carolinum, AVCTORVM.

Pedicularis dentis Leonis flore maximo, caule lanuginoſo, GMEL. *Ind. Ien. et Len.*

Radix fibroſa. Folia ad illam multa, dentis leonis foliis ſimillima, rigida, pinnatifida, pinnulis inciſis, crenatis. Inter ea caulis ſurgit, vel vnus, vel duo et tres, teretes, glabri, dilute virides, ſimplices, nudi, pedales et cubitales. Spica interrupta, conſtans verticillis plerumque trifloris. Flores magnitudinis inſignis, pallide lutei, in extremitate labii inferioris purpurei. Labium ſuperius falcatum, inferius trifidum. Calyx in quinque lacinias ſuperius ſectus. Folia floralia ad omnes verticillos, fere triangula et hinc inde dentata. Fructus ex rotundo aliquantum depreſſus, ſuperius mucronatus, fuſcus, in duas partes dehiſcens foetus ſeminibus maiuſculis, anguloſis, dilute fuſcis. Amat haec planta humilia loca et irrigua, et paſſim inter *Kirengam* et *Iacutiam* vrbem obuia eſt. Floret ſub finem Iunii. Medio Auguſti ſemina maturat.

18. *PEDICVLARIS* caule, ſimplici foliis quaternis, LINN. *ſp. pl.* 2. *p.* 846. *n.* 5.

Pedi-

Pedicularis ſylueſtris purpurea, foliis filicis quaternis, in caule decuſſatim poſitis, STELL. *Ochot.* 98.

Pedicularis alpina, floribus purpureis ſpicatis, foliis pinnatis verticillatis, HALL. *helv.* 623. *t.* 17. *fi.* 1!

I. Eadem floribus candidis.

Pedicularis ſylueſtris candida, foliis filicis quaternis, in caule decuſſatim poſitis, STELL. *Och.* 97.

Radix ſimplex, vncialis, teres, nigra, fibroſa. Caules ex vna radice multi, ſed ad decem pollices longi, teretes, piloſi, modo obſcure virentes, modo rubentes. Folia radicalia pediculis vncialibus et longioribus, baſi caulis adhaerentia, intenſe viridia, filicis ad inſtar pinnata, pinnulis integris. Folia caulina, a floralibus bene diſtinguenda, in ſpeciminibus Stellerianis ſemper quaterna, verticillata, pinnata, pinnarum paribus numero diuerſis, decuſſatim poſita. Spica 5 vel ſex lineas vsque ad pollicem longa. Calyx hirſutus, rotundus, ſtriatus, dentibus mediis bifidis. Flores pulchre rubentes, verticilli in modum caulem ambeuntes, et ita poſiti, terram vt reſpiciant, ſitu ad caulem, quem clauus obtinet, parieti infixus. Labium ſuperius anguſtum, compreſſum: inferius trinis ſuis ſegmentis triplo latius. Ad *Amgam* et *Aldanum* fluuios in ſyluis humidis Iunio florentem plantam hanc STELLERVS inuenit. Eadem quoque in *Kamtſchatka* provenit.

19.

19. *PEDICVLARIS* alpina foliis alternis pinnatis, pinnulis pinnatis, floribus ochroleucis rostratis in spicam congestis, HALL. *helv.* 620. *t.* 15. SAVV. *monsp.* 247.

Pedicularis montana maior, latiore Achillaeae folio, GMEL. *Ind. Ien.* 953.

Pedicularis montana maior, Achillaeae folio glabra eademque spica arctiore et flore maiore, ID. *l. c.* 956.

Pedicularis montana, minor, angustiore Achillaeae folio, ID. *l. c.* 954.

Pedicularis montana Achilleae folio ampliori crispo, flore ochroleuco, STELL. *Irc. n* 85.

Pedicularis caule simplici, calycibus crenatis, corollis galea rostrato - aduncis, LINN. *sp. pl. p.* 245. *n.* 14.

Radix Asphodeli. Caulis leuiter rubens, nec raro intortus, lanuginosus, crassiusculus, pedalis et sesquipedalis. Folia ad radicem multa, et ad caulem per interualla sat longa, filicis in modum, disposita, pinnulis scilicet in ambitu crenatis, conflata, spina insuper albida e quolibet pinnularum, multum a se distantium, dente exeunte. Pulchre patent, paribusque numerosis gaudent. Spica terminalis, composita floribus arcte congestis, vel ochroleucis vel candidis, vtrisque emarcidis, fuscis, cinctis foliolis, calycem vix superantibus, trifidis. Labium superius falcatum: inferius

crispum

crispum in tres lacinias distinctae; quarum duae laterales obtusae, media extremitate acuta gaudet. Calyx oblongus, albus, quinque costis viridibus extantibus distinctus, pilosus, in quinque lacinias fissus, laciniis aequalibus nec profundis. Pili vero adeo copiosi sunt, vt floribus nondum explicatis spica tota quanta lanuginosa sit. Fructus in calyce delitescens inferius turgidus est, et acuto mucrone terminatus, maturitate maior euadit, capsulamque refert, apice, vt ordinario in duas partes dehiscentem, et in duo loculamenta divisam, pluribus minutis, angulosis, oblongis et lutescentibus seminibus refertam. Sub finem Iunii floret, et medio Augusti fructum maturat.

Summa hac in planta varietas datur. Caules interdum perquam hirsuti, et veluti lanuginosi, interdum fere glabri. Foliorum pinnae latae aut angustae. Spica semper ad duas vncias arcta, sed interdum ad pedem vsque. Calyces hirsutissimi, aut glabri. Constans hoc est, quod semper sint pentagoni, quodque pinnarum dentes in apices albos desinant.

Prouenit ad *Lenam* fluuium, *Ircutiae* STELLERVS obseruauit.

20. *PEDICVLARIS* caule simplici, foliis pinnatifidis, pinnulis arctis, spica florum longissima. Tab. XLV.

Pedicularis filicis folio lutea, spica florum praelonga, GMEL. *Irc.* 504.

Pedicularis alpina, filicis folio maior, STELL. *Irc.* 139.

Radix perennis, constans pluribus crassis et lutescentibus fibris. Folia ad radicem multa, in orbem sparsa, pediculis innixa, eo, quo oriuntur, loco, caulis ad instar, squamis nigricantibus, obuolutis, pinnatifida, filicem marem exacte referentia, laete viridia, pinnulis non multum a semet inuicem distantibus, nec vsque ad mediam costam, vt in priore specie incisis: pallidiora sunt in parte aduersa, et valde venosa, venis plurimos circellos minimos effingentibus, id quod pictor non ad amussim expressit. Caulis teres, pallide viridis, per pedale fere spatium nudus, tuncque foliis stipatus, radicalibus similibus. Extremum caulis in spicam floriferam desinit, plus minus dodrantalem, laxam compositam floribus, qui respondent illis, quos Pedicul. resupinata gerit. Rostrum longius, ac in tuberosa, flauum, inferius labium pallide luteum. Loca montosa amat, et ad *Angaram* fluuium praecipue occurrit. Altitudinem habet saepe plus, quam bicubitalem.

21. *PEDICVLARIS* caule simplici, foliis duplicato-pinnatis, laciniis linearibus.

Pedicularis alpina filicis folio minor. C. B. P. GMEL. *Ind. Transbaic.*

Pedicularis montana minor, latiore et tenuius diuiso Achilleae folio, GMEL. *Ind. Ien* 955.

Pedicularis humilior foliis tenuissime diuisis, spicatis purpureis, AMM. *ruth.* 41.

Radix

Radix crassa, bulbosa. Folia ad illam plurima pinnatifida, pinnis linearibus, angustissimis, creberrime diuisis. Spica arcta, breuis, lanuginosa. Conuenit in omnibus cum P. tuberosa, illiusque non nisi varietas videtur esse.

22. *PEDICVLARIS* caule simplici, foliis pinnatifidis, pinnulis crenulatis, florum rostris obtusis.

Pedicularis alpina, foliis alternis pinnatis, floribus ex atro-rubentibus, in spicam densam congestis, HALL. *helv.* 623?

Pedicularis caule simplici, staminibus floris galea longioribus, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 846. *n.* 7?

Radix fibrosa, fibris longissimis, in medio crassioribus, lutescentibus. Caulis sesquicubitalis et altior, digiti cubitalis crassitie, subtus splendens, sulcatus. Folia pinnatifida, similia foliis Alectorolophi C. CLVSII, pinnis vero donatis dentibus crebrioribus, nec adeo profundis, pinnisque ipsis frequentioribus. Caulis florifer purpureus. Flores in spica laxa, raro biunciali, plerumque palmari et semipedali, nonnunquam dispositi. Supremum spicae adeo arctum, vt caulem fere tegat. Flores e violaceo purpurei, vncia aliquantum minores, angusti, rostro quidem adunco, sed obtuso, labio superiore, eo in loco, vbi inferiori incumbit, saturatiore, inferiore exiguo, in tres lacinias obsolete fisso, inter quas media minima est. Calyx e viridi et sordide purpureo varius, terminatus quinque mucronibus

breuibus, ora lanuginosa. Antherae oliuaceae. Russis черноголовникъ dicitur, et tota herba, quae amaricans est et radice in lue venerea vtilis esse perhibetur, secundum agros ad *Catsham* fluuium quindecim circiter leucas supra eius ostium copiose prouenit.

Est alia huic similis planta ex *Lena* fluuio, sed tam in illa, quam in descripta pinnulae sunt multo angustiores, quam Perill. HALLERI icon exhibet.

23. *PEDICVLARIS* caule simplici foliis semipinnatis: pinnulis obtusis acute serratis.

Pedicularis caule simplici, corollarum galeis margine villosis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 846. *n.* 7.

Hirsutissima planta est. Rostrum satis obtusum. Flores ochroleuci in spicam arctam congesti. Ceterum descriptio Cel. v. LINN. consulatur.

STELLERVS inter *Iacutiam* et *Ochotium* collegit.

24. *PEDICVLARIS* caule erecto non ramoso, pennis foliorum retrouersis imbricatis, HALL. *helv.* 622.

Pedicularis caule simplici foliis pinnatis retro imbricatis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 846. *n.* 9.

Ad *Bielam* fluuium STELLERVS collegit.

25. *EVPHRASIA* foliis ouatis lineatis acute dentatis, LIN. *fl. suec.* 2. *p.* 841. *n.* 2.

Euphra-

Euphrasia officinarum, BAVH. *pin.* 233.

Euphrasia minor., DILL. *ad p.* 53

Euphrasia, CAM. *ep.* 767.

I. Eadem flore candido.

Nascitur vbique tam in Russia, quam in *Sibiria* omni. GMEL. Ind. Ien. Vel caulis simplex est, vel ramosus. Iidem vel duri et admodum ramosi, vel graciliores et minus ramosi, vel quoque gracillimi ramosissimique.

26. *ODONTITES* foliis inter flores serratis, HALL. *helv.* 2. *p.* 627.

Euphrasia pratensis rubra, BAVH. *pin.* 334.

Alectorolophus aquaticus, GMEL. *Ind. Ien.* EIVSDEM *obseru.* 188.

Euphrasia foliis linearibus, omnibus serratis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 841. *n.* 4. ROY. *lugd.* 299.

Odontiten ab Euphrasia Ill. HALLERVS distingit, quod galeam habeat indiuisam, stamina extra corollam eminentia, fructumque oualem, obtusum, obsolete emarginatum. B. GMELIN, ipsam, quam propono, plantam, ab Euphrasia separauit, eadem caussa motus, illique Alectorolophi nomen dedit, impositum olim nonnullis *Pedicularis* speciebus, quacum adfinitatem habet.

Radix fibrosa est. Caulis quadrangulus, lignosus, inferius sordide virescens, superne purpurascens, cubitalis, ramosus. Folia ad caulem et ramos, ex aduerso bina, angusta, longitudine pollicis et vltra, superne purpurascentia, intermixtis maculis albis minoribus, inferne virescentia, ad oras crenata, supra hirsuta, prona parte glabra, deorsum plerumque inflexa. Spicae floriferae distichae, longae. Flores labiati, labio superiore fornicato, inferiore trifido. Tubus in medio contractus. Filamenta purpurea. Antherae lutescentes. Calyx quadrifidus. Surgens ex eo pistillum posteriori floris parti claui ad instar adfixum. Fructus oblongus, compressus, in duo loculamenta divisus, plurimis seminibus rotundis foetus. Tota planta, floribus exceptis, pilis mollibus hirsuta. Folia acriuscula.

Ad *Amgam* amnem frequens, Mense Augustiflorat.

27. *ODONTITES* foliis omnibus linearibus, HALL. *helv. p.* 628. SAVV. *monsp.* 138.

Euphrasia foliis linearibus, omnibus integerrimis, calycibus villoso-viscidis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 842. *n.* 6.

GERBERVS ad *Tanaim* fluuium collegit. Differt autem caulibus foliisque glabris.

28. *OROBANCHE* caule simplicissimo, supra florifero. XLVI f: 1.

Orobanche maior, caryophyllum olens, B. *pin.* 87.

Oro-

Orobanche caule simplici, albido, foliis sub flore longioribus, HALL. *helv.* 610.

Orobanche caule simplicissimo pubescente, staminibus subexsertis, LIN. *Sp. pl.* 2. 882. *n.* 2.

I. Eadem floribus caeruleis laxe spicatis.

Orobanche flore atro caeruleo, spica florum laxiore, longiore et angustiore, GMEL. *Ind. Ien. n.* 902.

Orobanche subcaeruleo flore, siue secunda, CLVS. STELL. *Irc.* 157.

Orobanche caule simplici caeruleo, foliis sub floribus breuioribus, HALL. *Helv.* 610.

II. Eadem floribus caeruleis in spicam densissimam congestis.

Orobanche flore atro-caeruleo, spica florum compacta pyramidali, GMEL. *Ind. Ien. n.* 901.

III. Eadem floribus albidis.

Orobanche flore candido, STELL. *Irc.* 160.

Radix bulbo conficitur, squamis imbricatis tecto. Caulis ex radice vel duo, vel vnus frequentius, lignosus, angulosus, simplex, hirtus. Flores spicati, odore Caryophylli. Spicae confertae.

Var. I. Floribus longioribus et angustioribus differt. Inuenitur infra ostium fluuii *Kani*. STELLERVS ad *Angae* fluuii ostium in lacum *Baikal* legit.

Var. II.

Var. II. videtur iunior saltem planta esse.

Var. III. iam ad radices rupis iuxta *Angae* ostium in lacu *Baikal* STELLERVS inuenit.

29. *OROBANCHE* caule simplicissimo, vltra dimidium florifero. Tab. XLVI. 2.

Orobanche flore rubente minore, caule crassissimo, toto squamis lecto, GMEL. *Ind. Len. n.* 899.

Orobanche lusitanica, flore atro-purpureo, T. I. R. H. GMEL. *Ind. Len.* 483. STELL. *Iro.* 158.

Radix vna alteraque crassiuscula, duriore fibra in terra firmatur, gustu adstringens, ceterum congeneribus analoga verticilli in modum rotunda, spadicea, squamosa, squamis firmiter sibi inuicem accretis. Caulis crassissimus, glaber, lignosus, raro vnus, sed ex vna radice semper fere plures, ad octo vsque, interne flavescentes admodumque succulenti, inferius lutescentes, superne rubentes squamis imbricatis vndique tectis ouatis, mucronatis. Sapor eorum dulcis. Flores atropurpurei in spica densissima vltra dimidium caulis occupante, congesti. Labium vtrumque plerumque in tres lacinias fissum, superiore tamen interdum integro. Stamina vltra corollam exserta. Stylus inferne rubens, superne luteus. Calyx fere peluiformis, duobus marginibus laciniatis inaequalis. *Leniseam* prope supra Worogowa pagum PATRVVS inuenit, et ad omnem *Lenam*, quae tamen posterior humilior, palmumque ra-

ro

to ſuperans, quin interdum vix biuncialis erat, cum altera pedalem altitudinem attigerit. STELLERVS in montoſis ad *Angaram* ſub initium Iulii florentem legit.

30. *OROBANCHE* corollis quinquefidis, caule ramoſo, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 882. *n.* 4.

Orobanche ramoſa, B. *pin.* 88.

Orobanche ramoſa, floribus ſubcaeruleis, STEL. *Irc.* 159.

Flores pallide admodum caerulei. Rami e medietate caulis duo. STELLERVS in montoſis ad *Angaram* e regione pagi *Schilkinga* inuenit.

31. *VERONICA* foliis ſex aut pluribus, verticillatim caulem ambeuntibus.

Veronica ſpicata altiſſima, foliis verticillatim diſpoſitis, GM. *obſ.* 85. AMM. *ruth. p.* 29. *t.* 4.

Veronica ſpicata, foliis circa caulem quinis et ſenis, STELL. *Irc.* 105 *et* 106.

Veronica ſpicis terminalibus, foliis ſeptenis verticillatis, caule ſubhirto, LINN. *Sp. pl.* 1. *p.* 12. *n.* 1.

Deſcriptioni PATRVI, quae in libro AMMANNIANO iisdem verbis extat, quibus exarata fuit, quin et LINNEANAE addendum nihil habeo, niſi hoc, quod planta hortenſis magnitudine valde luxuriet, duploque maiorem accipiat, ac in natali loco, vt et ſpi-

cae ad pedem accedant. Ab *Angarae* fluuio in *transbaicalenſes* regiones vsque vbiuis prouenit. Fructus a Veronicae fructu diuerſus, illique, quam ſalicaria habet, aemulus.

Folia numero variant quina, ſena, ſept-oct-et nouena obſeruaui, ſena omnium frequentiſſime.

32. *VERONICA* ſpicis terminalibus, foliis ternis inaequaliter ſerratis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 13. *n.* 4.

Veronica ſpicata longifolia altera, AM. *ruth.* 34.

Veronica ſpicata vrticae folio, AM. *ruth.* 35.

Veronica foliis ſaepe ternis, LIN. *Vir. Cliff.* 2. *H. Cliff.* 7. ROY. *lugdb.* 301.

I. Eadem foliis verticillatis, pluribus ouatis obtuſis, ſpicis ex ſupremo verticillo, quinque aut ſex.

Veronica foliis latis verticillatim poſitis, ſpicis pluribus gracilibus et breuibus, STELL. *Irc.* 382.

Folia ex aduerſo bina, accedente ſaepe impari, longitudinis et latitudinis variae, aequaliter ſerrata, inferiora ſuperioribus obtuſiora. Caulis ſesquipedalis, quinque vel ſex ſpicis terminatus, hemipedalibus, floribus caeruleis, denſe congeſtis, onuſtis. In campis *Nertſchenienſibus* et *Argunenſibus* menſibus Iunii et Iulii floret.

Var.

Var. I. ſemel viſa prope *Ieniſeam* vrbem, vnde forte tanquam mera varietas cenſeri poteſt, ſat ceterum diſtincta, cum folia ſint ex ouato-oblonga, verticillatim caulem amplectentia, ſerratura eadem, ac dixi. Spicae plures graciles et breues.

33. *VERONICA* foliis inferioribus ouatis crenatis, ſuperioribus rotundis mucronatis, caule ſpica terminato.

Hanc inter plantas B. STELLERI *Camtſchaticis* inueni. Iconem exhibere nequeo, quoniam nulla ſatisfecit, quas ad ſpecimina ſicca fieri curaui, neque praeter nomen memoriae reliquit inuentor aliquid.

Radix fibroſa. Caulis aliquantum procumbens, pedalis, ad originem ſuam cinctus vaginis duabus longitudinalibus, ipſum ſpathae inſtar liliaceae amplectentibus. Folia inferior ouato-oblonga profunde crenata, in petiolum decurrentia, rara, ſuperiora confertiora, oppoſita ſubſeſſilia, rotunda, acuminata. Spica extremum caulis occupans, vnica, in thyrſum bipollicarem coacta.

Habitat in *Kamtſchatka.*

34. *VERONICA* foliis oppoſitis ouatis ex inciſo-ſerratis, caule erecto.

Veronica ſpicata, Bugulae ſubhirſuto folio, flore albo et carneo, GM. *obſ.* 86. AM. *ruth.* 31.

Pauca habeo ad AMMANNIANAM descriptionem addenda. Folia sunt exacte opposita, ouata, profunde serrata, duplo breuiora, ac in spicata, foliolis minoribus aucta, subrotunda extremitate. A veronica *spicata Cambro-britannica*, *Bugulae subhirsutae folio*, RAII differt longitudine petiolorum, et colore floris.

In *Transbaicalensi* regione passim nascitur.

35. *VERONICA* spicis terminalibus, foliis oppositis crenatis obtusis, caule erecto tomentoso, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 14. *n.* 6.

Veronica spicata minor, angustifolia incana, GMEL. *obs.* 35.

Veronica spicata subincana et lanuginosa, elatior, folio latiore, EI. *Ind. Irc.* 383.

Veronica spicata, lanuginosa et incana, floribus caeruleis, AMM. *ruth.* 30.

Veronica bellidis folio, maior, MESS. AMM. *ruth.* 23.

I. Eadem floribus albis.

Folia inferiora crenata, petiolata, plerumque opposita, superiora sessilia et integra. Interdum integra quoque sunt inferiora. Interdum omnia ex crenato-serrata, praeter duo aut tria summa integra. Caulis et folia semper lanuginosa, colore nunc magis in album, nunc magis in viridem vergente. Polystachiam quoque vidi.

In omni *Sibiria* nascitur ad *Kamtschatkam* vsque.

36.

36. *VERONICA* racemo terminali ſubſpicato, foliis ouatis glabris - crenatis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 15. *n.* 14.

Veronica maior fruteſcens altera, TOVRN. *inſt.* 144.

A *Iaico* ad *Angaram* vsque nusquam non occurrit.

37. *VERONICA* ſpica terminali, foliis oppoſitis, crenatis obtuſis, caule adſcendente ſimpliciſſimo, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 14. *n.* 7.

Chamaedrys ſpuria minor anguſtifolia, BAVH. *pin.* 249.

Veronica ſpicata longifolia, flore dilutiore, GM. *Ind. Irc.* 381.

Veronica anguſtifolia floribus paniculatis, AMM. *ruth.* 32.

Multa hac in planta variatio eſt. Folia plerumque lanceolata. Interdum ouata, interdum linearia, ſerrata, crenata, integra, in aliis omnia ſerrata, in aliis quaedam, et quaedam integra; per paria nonnumquam, et per verticillos tria aut quatuor ſimul diſpoſita, ſaepe et alterna. Caulis plerumque erectus, procumbens tamen non raro obſeruabilis. Spica ſaepe vnica caulem terminat, ſaepe plures. Nec raro rami ex omnibus foliorum alis exeunt, in extremo ſpicati. Spicae dein ſaepe arctiſſimae et ſaepe laxae. Color florum caeruleus, carneus, albus.

In *Isetensi* prouincia omnium copiosissime cum omnibus varietatibus nascitur, nec raro est ad *Irtim* fluvium, hinc autem Orientem versus rarior, vt circa *Ircutiam* et in regionibus *transbaicalensibus* vt et ad *Lenam* fluuium, vix inueniatur.

Not. Veronica spicata vrticae folio, ex veronica spicata longis alternis foliis, caerulea, MESS. AM. *ruth.* 35. 36. aut ad hanc speciem, aut ad *maritimam* pertinet.

38. *VERONICA* foliis multifidis linearibus.

Veronica austriaca, foliis tenuissime laciniatis, TOVRN. *inst.* 144.

Veronica frutescens, Abrotani folio, floribus carneis, AMM. *ruth.* 33.

Veronica spicata frutescens, Abrotani folio, GM. *Ind. Ien. n.* 748.

Non magna dissimilitudo est inter *veronicam austriacam* et hanc, nec fere alia, nisi quod in nostra folia angustius laciniata sint. Campi *Nagaici* et *Crimmenses* plantam producunt, cuius foliorum laciniae angustiores sunt, quam *Austriacae*, latiores vero quam *Sibiricae*. Et per hanc puto vtraeque coniunguntur.

Caules ex radice fibrosa surgentes plures, crassi firmique, nec tamen lignosi, rubentes et a lanugine mollissima breuissimaque veluti farina adspersi, teretes, nec striati, dodrantales pedalesque, subsimplices, vestiti frequentissimis foliis ab imo ad summum, Abrotani foliis similibus, sessilibus, absque ordine prodeuntibus, inferioribus tenuissime laciniatis, summis integris et angu-

anguſtiſſimis. Multae ex alis ſuperiorum foliorum ſpicae prodeunt, quae quando iam in ſemen excreuerunt, propter folia tenuiſſima ſingulis floſculis ſubiecta, piloſae quaſi eſſe videntur. Flos dilute caeruleus, et nonnunquam pallidiſſimus. Superior lacinia ampliſſima. Inferior lateralibus maior. Antherae e violaceo-purpuraſcentes; quando diſſiliunt, albent.

Naſcitur a *Iaico* ad *Ieniſeam* vsque.

39. *VERONICA* racemo terminali ſubſpicato, foliis ouatis glabris crenatis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 15. *n.* 14.

Veronica pratenſis ſerpilliſolia, BAVH. *pin.* 247.

Veronica foliis ouatis raro crenatis, floribus longe ſpicatis, glabris, fructu bifido, HALL. *helv.* 533.

A *Iaico* ad *Ieniſeam* vsque, ſed raro occurrit. STELLERVS in *Kamtſchatka* quoque legit.

40. *VERONICA* foliis lineari-lanceolatis integris, ramis laxe floriferis, ROY. *lugdb.* 302. LIN. *Lap.* 10.

Anagallis aquatica anguſtifolia ſcutellata, BAVH. *pin.* 252.

Veronica racemis lateralibus, pedicellis pendulis, foliis linearibus integerrimis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 16. *n.* 17.

Spicae

Spicae floriferae longae et copiosae. Folia splendentia et saepe serrata, vt optime Ill. HALLERVS monuit. Datur et varietas caulibus foliisque pilosis. In omni *Sibiria* nascitur.

41. *VERONICA* racemis lateralibus, foliis ouatis planis, caule repente, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 16. *n.* 15.

Veronica aquatica repens, oleae folio, TOVRN. *inst.* 144.

Veronica aquatica, foliis ouatis ex alis racemosa, HALL. *helv.* 528.

Folia glaberrima oblonga et latiuscula, extremitate obtusa, vtplurimum integra, interdum leuiter crenata. Flores in spicas breues compacti. Ad omnem *Ienisseam* frequens.

42. *VERONICA* racemis lateralibus, foliis lanceolatis-serratis, caule erecto, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 16. *n.* 16.

Veronica aquatica longo latoque folio, flosculis pallidis, GM. *Irc. n.* 385.

Veronica aquatica foliis ouatis acuminatis, ex alis racemosa, HALL. *helv.* 528.

Folia saepissime serrata, mox obiter, mox profunde, mox circumcirca, mox hinc inde tantum; dantur et integra. Flores longe spicati.

In omni *Sibiria* nascitur.

43.

43. *CIRCAEA* caule adſcendente, racemo vnico, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 12. *n.* 2.

Circaea minima foliis breuibus dentatis, HALL. *helv.* 456.

In omni *Sibiria* naſcitur.

44. *PINGVICVLA* nectario cylindraceo longitudine pedali, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 25. *n.* 2.

Naſcitur in omni *Sibiria*.

ORDO II.

GYMNOSPERMAE.

45. *SALVIA* foliis cordato - lanceolatis, ferratis planis, bracteis coloratis, labio infimo reflexo, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 35. *n.* 10.

Salvia nemorosa.

Sclarea folio ſaluiae minor, ſ. glabra, BOERH. *lugdb.* 1. *p.* 165. TOVRN. *inſt.* 180.

I. Eadem floribus carneis.

II. Eadem floribus albis.

Ab omni *Iſetenſi* prouincia ad *Irtim* vsque copioſe prouenit, hinc deficere incipit, vt ad *Obum* vix extet. In *Vcrania* quoque prouenit.

46. *SALVIA* foliis cordato - oblongis: ſummis amplexicaulibus, verticillis ſubnudis, corollis galea glutinoſis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 35. *n.* 12.

Ad *Iaicum* occurrit.

Caules breui lanugine obducti, et tota planta incana. Bracteae coloratae, e purpureo - violaceae, ſingulo verticillis ſubiectae, quare dubitari poſſet, annon ſit potius Horminum ſatirum, C. B. *pin*?

47. *SALVIA* foliis lanceolato - ouatis, integris crenulatis floribus ſpicatis, calycibus acutis, LIN. *Sp. pl.* 1. *p.* 34. *n.* 4.

Saluia minor aurita et non aurita, C. B. *pin.* 237.

Ad

Ad *Iaicum* vt et in regione ſuperiori *Irtis* fluvii in campis ſiccis abunde naſcitur.

48. *SCVTELLARIA* foliis cordato - lanceolatis crenatis, floribus axillaribus, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 835. *n.* 5. ROY. *lugdb.* 320.

Lyſimachia caerulea galericulata, ſ. gratiola caerulea, BAVH. *pin.* 246.

Caſſida paluſtris vulgatior flore caeruleo, TOVRN. *Inſt.* R. H.

Caſſida vulgari ſimilis humilior, GM. *Ind. Len.* 133.

Caſſida vulgari ſimilis ramoſa et humilior, GMEL. *Ind. Ien.* 608.

Caſſida paluſtris repens et minus ramoſa, flore purpuraſcente, DILL. *Cat. pl. p.* 122. STELL. *Irc.* 164.

Caſſida moldaricae folio, AMM. *Ruth.* 53.

Radix fibroſa, repens. Caules ab exortu plures, dodrantales, pedales et vltra, ſimplices interdum, interdum ramoſi, ſature purpuraſcentes, quadrati, ſubincani. Folia ex aduerſo bina, pediculis breuiſſimis inſidentia, lanceolato - oblonga, latitudine et longitudine variantia, acuta, crenata, vtrinque ſubhirſuta. Flores e ſupremis foliorum alis ſinguli, pallide caerulei, labio ſuperiore galeam cum auriculis referente, inferiore in medio crenato, et linea longitudili multisque

punctis e caeruleo, purpurascentibus vario. Semina subrotunda, granulata. In omni superiori *Ienisseae* regione vsque ad Ircutiam et vltra ad locos, a fluuiis paulo remotos frequens.

49. *SCVTELLARIA* foliis cordatis obtusis, obtuse serratis, spica foliosa in summo caule.

Scutellaria foliis subcordatis serratis, spicis elongatis secundis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 236. *n.* 10. ROY. *lugd.* 311.

Cassida, COLVMN. *Ecphr.* 1. 187. *t.* 189.

Cassida latifolia, menthae facie, semine flauicante, MESS. AMM. *Ruth.* 52.

Folia subhirsuta, insigniter venosa. Spica in summo caule, floribus purpureis, notabilis magnitudinis composita, egredientibus ex totidem bracteis ouatis, acutis, integerrimis, infra purpurascentibus. Galea apice pilosa.

Ad *Tomum* fluuium praecipue in montosis *Cusneziae* vrbis occurrit.

50. *SCVTELLARIA* foliis subsessilibus lanceolatis, omnibus integerrimis.

Cassida montana foliis oblongis non crenatis, AMM. *Ruth.* 54. *t.* VI.

Folia hyssopifoliae, sed longiora, omnia integerrimo petiolo breuissima instructa, per paria distantia opposita. Caulis erectus, pedalis et vltra. Spica subsecunda.

In

In montosis *Nertschiae* et *Argunensium* officinarum frequens est.

51. *SCVTELLARIA* foliis lanceolatis crenulatis, floribus gemellis, *t.* XLVII.

Cassida montana foliis oblongis crenatis, AMM. *Ruth. p.* 43. *n.* 55.

I. Eadem flore albo.

Cassida montana, angustifolia, alba, semine nigro, MESS. AM. *ruth. p.* 41. *n.* 51.

Multum galericulatae, multumque praecedenti adfinis, atque inter eas quasi media. Ast ab illa differt natali loco, montoso, foliis durioribus. haud emarginatis, rarius crenatis, et interdum integris, saepe plicatis, floribus etiam maioribus. A lanceolata differt foliis crenatis, floribusque haud in compacta spica prodeuntibus. Characteres in omnibus constantes, nec cultura variantes!

Ad lacum *Baikal* nascitur.

52. *SCVTELLARIA* foliis cordatis, obtuse mucronatis serratisque, spicis foliosis, calycibus deorsum flexis, *t.* XLVIII.

Cassida tatarica, Moldauicae folio glabro, cauliculis florum deorsum reflexis, CAT. HEINZ. *n.* 88.

Radix tenuis, nodosa, fibris flauicantibus aucta. Caules ex ea surgentes, multi, inferius nodosi, ibidemque rudimentis foliorum cincti, tum ad mediam

vsque altitudinem nudi, geniculis tamen distincti, quae eiusmodi faciem habent, quasi folia ibi abrupta fuissent, summitatem versus multis, albis longiusculisque pilis hirti, tribus aut quatuor foliorum paribus cincti, aut circa duas tertias altitudinis partes bifariam trifariamue diuisi, terminati spica foliosa laxa, vnciali et sesquiunciali. Folia cordato-lanceolata, obtusa, oblonga, crenata, inferiora petiolata, superiora sessilia, laete vtrinque viridia. Bracteae coloratae, ad oras crenatae vel breuibus pilis obsitae, ceterum glaberrimae, deciduae. Flores ex alis bractearum pedunculati. Calyx subhirsutus, inferiora versus oblique flexus, brevissimus, tubulosus, ibidemque viridi colore tinctus integer, squama auctus. Flores ochroleuci Labii superioris laciniae laterales intus caerulescunt, extusque albent, caeruleo translucente. Tubus breuissimus, retrorsum flexus. Faux longa, compressa, posterius carinata, lacinula media labii superioris concaua, dorso compressa, anterius adunca, obtusa, emarginata, lateralibus planis, interius tuberculatis. Labium inferius, magnitudine superioris, fissura hiante emarginatum, oris crenatum duabus leuibus tuberculis, sulcoque intermedio versus faucem conspicuum. In montosis *Iaici* locis Mense Iulio floret.

53. *DRACOCEPHALVM* floribus verticillatis, foliis ex ouato-lanceolatis, bracteis longe ciliatis.

Melissa moldauica, CAM. *epit.* 576.
Melissa peregrina, *folio oblongo*, BAVH. *pin.* 229.

Molda-

Moldauica foliis longioribus, profunde et raro ſerratis, GMEL. *mſt. Transb.*

Moldauica betonicae humilis, et non niſi rubente flore, GMEL. *irc.* 265.

Moldauica meliſſae folio, profundius ſecto, STELL. *irc.* 169.

Dracocephalum floribus verticillatis, bracteis lanceolatis, ſerraturis capillaceis, LINN. *ſp. pl.* 2. *p.* 830. *n.* 9.

I. Eadem foliis infra inciſis ſpinoſis.

Ocimoides ſuaue odorum, folio ad oras ſpinoſo, GMEL. *ind. ien.* 623.

Nonniſi in *Transbaicalenſibus* regionibus, et ad lacum *Baicalem* occurrit. Folia vel integra, mucronata, vel ad oras ſpinoſa, alia inciſo-ſerrata, ſubincana. Varietas pumila, quam ſynonymon ex indice transb. innuit, vix tres vncias alta eſt, cauliculis quadrangulis foliisque glaucis. Inuenta eſt ab homine quodam, qui comitatui ſinico interfuit cis *Krasnagora*, in confinio templi cuiusdam idolatrici.

54. *DRACOCEPHALVM* floribus verticillatis, bracteis lanceolatis integerrimis, foliis oblongis, ſuperioribus integris, floribus nutantibns, T. XLIX.

Horminum ſylueſtre, Lauendulae flore, B. *pin.* 239.

Moldauica Betonicae folio, flore caeruleo, TOVRN. I. R. H. 184.

Moldauica betonicae folio, floribus minoribus pendulis, AMM. *ruth.* 44. *n.* 57.

Oci-

Ocimum moldauicae folio, GMEL. *ind. Len.* 149.

Ocimoides flore dilutiore inodorum, GMEL. *ind. irc.* 272.

Dracocephalum floribus verticillatis, bracteis oblongis ouatis integerrimis, corollis maiusculis nutantibus, LINN. *hort. Vps.* 167. *sp. pl.* 2. *p.* 832. *n.* 12.

I. Eadem flore carneo.

II. Eadem flore albo.

Quamuis in horto *Vpsaliensi* elegans iam plantae huius descriptio prostat, visum tamen est, sequentia adiungere. Radix parua, lignosa, fusca, parum fibrosa Caules in locis sterilibus vix triunciales, in fertilibus pedales, et vltra. Folia radicalia rotundiuscula, obtuse dentata; caulina ouato-oblonga, vtrinque laete viridia, vel integra, vel leuiter serrata. Verticilli floriferi sex foliis circumuallati, quatuor minimis e purpureo-violaceis, cruciatim dispositis, e quorum singulorum binorum alis singula prodeunt folia maiora, caulis tamen minora, vtrinque viridia. Calyx hirsutus, striatus. Labium superius haud fornicatum, sed compressum. Laciniae labii inferioris horizontales. Flores dilute violacei. Faux emarginata, auriculata, picta, vt labium inferius interna parte, lineolis punctisque albis. Antherae tenuissimae, nec subcordatae. Odor plantae inter digitos tritae, fragrans, melissae odori perquam similis, debilior in hortensi.

Ab *Irti* fluuio in omni *Sibiria* prouenit.

55.

55. *DRACOCEPHALVM* floribus verticillatis, bracteis lanceolatis integerrimis, foliis ouatis, superioribus integris, floribus vix e calyce eminentibus, Tab. L.

Moldauica Betonicae folio floribus minimis pallide caeruleis, AMM. *ruth.* 46. *n.* 58.

Dracocephalum floribus verticillatis, bracteis oblongis integerrimis, corollis vix calice maioribus, LINN. *hort. Vpſ.* 167. *ſp. pl.* 2. 831. *n.* 13.

I. Eadem floribus candidis.

Priori ſimillima, et ſpecies vix diſtincta radice, caule, foliis, diſpoſitione verticillorum bracteis, calyce, florisque conformatione. Sed hic calyce vix longior eſt, et labio ſuperiore inſtruitur patente.

In omni *Iſetenſi* prouincia a *Iaico* ad *Irtim* vsque prouenit.

56. *DRACOCEPHALVM* floribus verticillatis foliis oblongis obtuſis ex ſinuato-crenatis, bracteis oblongis, GMEL. Mſt.

Dracocephalum floribus verticillatis, foliis ouatis inciſo-crenatis, bracteis lanceolatis integerrimis, LINN. *ſp. pl.* 2. *p.* 830. *n.* 8.

An Horminum orientale betonicae folio anguſtiore et inodoro, TOVRN. *cor.* I. R. H. 10? GMEL. *ind. irc.* 257.

Boguldea erecto flore magno purpureo caeruleo, Betonicae foliis, longis pediculis insidentibus. STELL. *Irc. n.* 173.

Radix fusca, fibrosa, sub Musco-saxis superstrato repens. Caules quadranguli, semipedales, erecti, geniculati, internodiis interuallis aequalibus a se inuicem distantibus. A singulo internodio duo ex aduerso alterno ordine oriuntur folia, ouata, sessilia, profunde serrata, leuiter hirsuta. Intra eorum supremorum alas verticilli eriguntur, compositi floribus amplis, erectis, purpureo caeruleis. Calyx purpurascens hirsutus, quinquefidus, diuisura axin floris spectante duplo latiore, labium superius pilis caerulescentibus, in duas areolas dispositis, hirtum, singula singulam diuisuram occupante; flore vigente laciniae illius excauatae, marcescente sursum reflexae. Labium inferius media sua concaua parte albet, punctulis rubicundis adspersum. Faux barbata. Bracteae oblongae, nonnunquam integerrimae, nonnunquam plus minusue ramosae. Folia radicalia petiolata siue humifusa siue caulem amplectentia. Folia floralia integerrima. Forte est potius Moldauica *orientalis*, *Betonicae folio*, *flore magno violaceo.* TOVRN. *Cor. II.*

Intra valles rupium *Bargusinensium* et earum, quae existunt ad *Maiam* et *Indomam* b. STELLERVS observauit.

57. *DRACOCEPHALVM* verticillis pedunculo communi eleuatis secundis. Tab. LI.

An

An Ballote Matth. 825. I. R. H. 184. *t.* 85. GMEL. *Ind. Ien.* 620.

Cataria montana foliis veronicae pratensis, BVXB. *Cent. III. p.* 25. *I. L.*

Chamaedrys vrticae folio viridi, GMEL. *Ind. Ien.* 536.

Nepeta 3. *H. Vps.* 164.

Dracocephalium floribus subuerticillatis, pedunculis bifidis secundis, foliis cordato oblongis acuminatis nudis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 830. *n.* 7.

Descriptionem exactam hortus *Vpsaliensis* habet. In montosis locis ad superiorem regionem *Ienisseae* fluvii frequens.

58. *DRACOCEPHALVM* floribus ex verticillato-spicatis, foliis cordatis sinuato-pinnatifidis. Tab. LII.

Saluia minor folio hederae terrestris, elegantiore, GMEL. *Ind. Irc.* 258.

Boguldea chamaedrys folio duriore, subtus incano, flore caeruleo, STELL. *Irc.* 172.

Dracocephalum foliis pinnato-sinuatis obtusis, floralibus spicatis villosis coloratis, LINN. *hort. Vps.* 165.

Dracocephalum floribus spicatis, foliis cordatis sinuato-pinnatis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 829. *n.* 3.

Planta perennis. Loca amat arenosa sicca et aprica, et radice instruitur pro aetate plantae plus minusue crassa, ramosa. Folia supine intense viridia, auersa parte incana, sulcata, rigida, pinnatim sinuata, sinubus obtusis, alterna inferius petiolata, superius subsessilia. Caules humifusi. Spica terminalis, pollicem longa et tantundem in diametro crassa, floribus intense caeruleis onusta, a LINNEO descriptis.

Folia Lauendulam spirant; sapor eorum valde aromaticus.

In montosis locis iuxta ostium *Boguldeichae* fluuii, in lacum *Baicalem* influentis, vt et ad *Maiam* et *Iudomam* fluuios in rupestribus perquam copiosa est. Videtur tamen planta ad *Maiam* et *Iudomam* collecta in multo sicciore et asperiore loco nata esse, quam *Baicalensis*.

59. *DRACOCEPHALVM* floribus verticillato-spicatis, foliis linearius confertis.

Prunella hyssopi folio viridi, amplo flore caeruleo, MOR. *ox. s.* 11. *t.* 5. *f.* 9.

Ruyschiana glabra, foliis integris, AMM. *ruth.* 50. *n.* 64.

Dracocephalum floribus spicatis, foliis bracteisque lanceolatis indiuisis muticis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 830. *n.* 6.

I. Eadem floribus carneis.

II. Eadem floribus albis.

In

In omni *Sibiria* nascitur.

60. *DRACOCEPHALVM* foliis lanceolato - linearibus rarius dentatis spinulosisque, floribus gemellis, LINN. *act. goet.* 3. *p.* 436. T. LIII.

Aiuga montana oblongo et crasso folio integro et dentato, GMEL. *Ind. Ien.* 610.

Dracocephalum floribus subspicatis, foliis caulinis ouato - oblongis incisis, racemis lineari - lanceolatis, denticulato - spinosis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 829. *n.* 4.

Priori valde analoga, dispositione florum, foliisque durioribus et latioribus distincta. Bracteae oblongae, in spinam terminatae. Flores semper gemelli. Caeterum ACTA GOETTINGENSIA consulantur.

61. *DRACOCEPHALVM* floribus solitariis, caule procumbente, foliis lanceolatis, supra inciso - crenatis.

Caulis procumbens, tetragonus, vellere breuissimo adspersus. Folia opposita, lanceolata, ad oras raris pilis ciliata, quinque neruia, vel integra, vel superius inciso - crenata. Folia ex eorum alis duo minora, mucronata. Flores ex alis foliorum superioribus solitarii, calyce instructi, quemadmodum hoc in genere solet esse, aliquantum incuruo, profunde striato, pilis longiusculis hirto, quinquefido, laciniis mucronatis, et ad basin tuberculo auctis. Corolla caerulea, calyce duplo longior, externe hirsuta. Galea longissima, obtusa et incisa. La-

bellum inferius trifidum, laciniam mediam anteriore et multo latiore, lateralibus posterioribus et angustioribus. Bracteae minutae ad oras ciliatae, extremo mucronatae. E seminibus STELLERIANIS inter *Iacutiam* et *Ochotium* collectis in horto Academico prouenit et viget.

62. *LEONVRVS* foliis caulinis lanceolatis trilobis, ROY. *lugd.* 312. LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 817. *n.* 1.

Cardiaca, FVCHS. *hist.* 395.
Marrubium cardiaca dictum, BAVH. *pin.* 230.
Leonurus foliis trilobatis, HALL. *helv.* 639.
I. Idem foliis et caule glaberrimis.

In *Isetensi* prouincia frequens est.

63. *LEONVRVS* foliis trifidis.

Leonurus foliis tripartitis laciniatis, calycibus villosis, LINN. *hort. Vps.* 171. *sp. pl.* 2. *p.* 818. *n.* 4.
Galeopsis geranii gruinalis folio, flore minimo, GMEL. *ind len.* 141.
Cardiaca inodora et exiguo flore, GMEL. *ind. irc.* 269.
Cardiaca foliis tenuibus et profundius incisis, glabra, AM. *ruth.* 49. 50. *n.* 62.

Differt a priori, quod folia ad petiolum vsque diuisa sint, quodque laciniae foliorum verticillis subiectorum plerumque serratae et incisae obseruentur. Sed ipsis eadem structura est atque calyci. *Ballote inodora*

foliis

folis Coronopi, AMM. *ruth. t.* 8. quae est Leonurus *Sibiricus* LINN. tatarici mera variatas est, floribus notabiliter maioribus labioque superiori inferiori fere aequale.

In omni *Sibiria* nascitur, plantata in hortum speciem eximie seruat, et licet folia proferat multo maiora, quam sylvestris, laciniae tamen semper angustiores sunt, quam in vulgari.

64. *PRVNELLA* foliis omnibus ouato-oblongis petiolatis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 839. *n.* 1.

In omni *Sibiria* nascitur.

65. *NEPETA* floribus paniculatis, foliis cordatis petiolatis, obtuse crenatis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 797. *n.* 2.

Nepeta maiorana elatior, MORIS. *s.* 15. *t.* 6. *f.* 6.

Ad *Iaicum* fluuium copiose nascitur. Vlterius in *Sibiria* obuia non est.

66. *BETONICA* spica interrupta, corollarum lacinia labii intermedia emarginata, ROY. *lugd.* 316. LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 810. *n.* 1.

I. Eadem floribus incarnatis.

In *Isetensi* prouincia passim occurrit.

67. *STACHYS* verticillis multifloris, foliorum serraturis imbricatis, caule lanato, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 812. *n.* 4.

Stachys maior Germanica, BAVH. *pin.* 236.

In

In omni *Sibiria* nascitur.

68. *GALEOPSIS* internodus caulinis aequalibus, verticillis omnibus remotis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 870. *n.* 1.

Galeopsis foliis longe ellipticis subhirsutis, HALL. *helv.* 645.

In *Isetensi* prouincia ad *Irtim* vsque fluuium nascitur.

69. *GALEOPSIS* internodiis caulinis superne incrassatis, verticillis summis contiguis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 870. *n.* 2.

Galeopsis foliis et caule fulcrato-hispidis, flore duplo calyce longiore, HALL. *h.* 644.

Nascitur in omni *Sibiria.*

70. *LAMIVM* foliis cordatis acuminatis, petiolatis, verticillis viginti floris, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 809. *n.* 5.

Lamium vulgare album s. Archangelica flore albo, PARK. *th.* 604.

In omni *Sibiria* nascitur.

71. *LAMIVM* foliis floralibus sessilibus amplexicaulicus obtusis, LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 809. *n.* 7.

Ad *Obum* fluuium et prope stationem samarensem Cel. MVLLERVS summus et in hoc studiorum genere literarum promotor, collegit.

72.

72. *PHLOMIS* foliis multifidis, Tab. LIV.

Ballote foliis geranii batrachiodis, AMM. *ruth. n.* 59. *p.* 47.

Ballota foliis palmatis dentatis, caule lanato, LINN. *sp.* 2. 815. *n.* 3.

Laminum album lanuginosum, marrubii facie, *Ind. Ien.* 614.

Marrubiastrum cardiacae folio, STELL. *Irc.* 181.

Radix perennis. Caulis procumbens, pedalis, quadrangulus, lanuginosus. Folia longe petiolata, laciniato-multifida, superne laete viridia, inferne lanugine argentea. Verticilli floriferi ad medium caulis. Flores externe albi, interne ochroleuci, hirsutissimi labio superiori excauato, inferiore cordiformi, ad latera in duas adpendices emarginatas desinente, striis purpureis picto. Calyx leuiter hirsutus. Semina fusca, prisma triangulare referentia, scrobiculis excauata et aspera.

A *Ienisea* fluuio ad *Angaram* et regiones *Transbaicalenses*, quin ad *Sinas* vsque nascitur.

73. *PHLOMIS* inuolucri radiis setaceis, foliis ex cordato-lanceolatis.

Galeopsis maxima, foliis Hormini, BVXB. *Cent.* 1. *Tab.* 6. GMEL. *obs.* *XXXIX.*

Phlomis Hormini folio, floribus paruis suaue rubentibus villosissimis, AMM. *ruth.* 48.

Phlomis vrticae foliis glabra, *Id. n.* 49.

Phlomis inuolucris hispidis subulatis, *foliis cordatis scabris*, *caule herbaceo*, LIN. *sp. pl.* 2. *p.* 819. *n.* 8.

Tatari Kongrolos (herba cum tuberibus) Russorum nonnulli утиная трава, alii заньа трава vocant.

74. *PHLOMIS* inuolucri radiis setaceis, subhirsutis.

Phlomis sideritidis folio latiore, GERB. *Tan. Mst.*

Phlomis hormini folio angustiore subtus incano, *flore minore purpurascente*, AMM. *ruth. n.* 50.

In campis apricis ad *Iaicum* nasci perhibetur, GERBERVS prope *Tawroviam* legit.

75. *GLECHOMA* foliis reniformibus crenatis, LIN. *sp. pl.* 2. *p.* 807. *n.* 1. ROY. *lugd.* 320.

Hedera terrestris vulgaris. BAVH. *pin.* 306.

In *Kamtschatcam* vsque nascitur.

76. *LAVENDVLA* foliis ouatis, saepe lobatis, Tab. LV.

Betonica sibiriensis, *folio laciniato odorato*, WALTH. *hort. p.* 122. *t.* 70.

Spica odore pergrato, A. N. C. *V. III. p.* 355. *n.* 16.

Lauen-

Lauendula montana foliis valerianellae varie ſecto caeruleo, MESS. AMM. *ruth.* 69.

Lauendula folio quinquefido, ſegmentis latioribus diuiſo, palludiore flore caeruleo, GMEL. *Ind. Ien. n.* 633.

Lauendula folio rarius nec ita profunde diſſecto, STELL. *Irc.* 191.

Lauendula ſiſymbrii latiore et hirſuto folio, GM. *Irc.* 275.

An lauendula folio diſſecto, STELL. *Irc.* 190.

Noua hic proponitur ſpecies, foliis mire ludens. Radix fuſca eſt, lignoſa, fibroſa. Caulis pedalis, quadrangulus, hirſutus. Folia maiora plerumque quinque fida, laciniis haud admodum profundis, quibus accedunt ſena vel ſeptena, oppoſita, integra, vel laciniato-lobata, vtraque hirſuta. Spica longiſſima denſis verticillis floriferis compoſita.

Odor plantae menthaceus.

Ircutienſes folia et flores cum ſpiritu frumenti infuſa ad ſolem digerunt, inque balneis fornacum, lapidibus candentibus ſuperinfundere ſolent, ſudanti autem hoc in balneo, febre tertiana laboranti, certum auxilium pollicentur. STELL. a medicaſtris quibusdam увышная трава dicitur, eiusque vſus in forma decocti ad Gonorrhoeam fluxumque album mulierum commendatur. Color florum e caeruleo-rubicundus.

A *Ieniſea* fluuio in omni vlteriore *Sibiria* naſcitur.

Nota. Ex ſynonymo, e WALTHERI horto depromto, Lauendula lobata nepeta multiflora LINNAEI eſſet, neque multum deſcriptio abludit, in ſpeciebus plantarum obuia. Sed quoad characterem genericum monere debeo, habitum omnino Lauendulae eſſe, labiumque ſuperius bifidum, inferius autem omnino trifidum, laciniis nequaquam crenatis. Quoad characterem ſpecificum noto, folia omnia petiolata eſſe, eademque vel integra, vel laciniato-lobata, vel inferius quinquefida, anſtantia nulla, vt in diuerſis ſpeciminibus diuerſa ratio frequenter obtineat. Aut ergo Nepeta multifida eadem cum noſtra planta eſt, et Lauendulae generi ſubiicienda. Aut per me differt. Sed WALTHERI ſynonymon pertinet ad hanc.

77. *HYSSOPVS* ſpicis ſecundis, ROY. *l.* 323. LIN. *Sp. pl.* 796. 1.

Hyſſopus officinarum caerulea ſ. ſpicata, BAVH. *pin.* 217.

Naſcitur in montoſis locis arcis *Vſt-Kamenogorenſis* et toto illo montoſo tractu, abhinc in *Kolywanenſes* officinas extenſo, quibus in locis incolae Ruſſici звѣробой vocant.

78. *ORIGANVM* ſpicis ſubrotundis paniculatis conglomeratis, bracteis calyce longioribus, ouatis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 824. *n.* 7.

Origanum ſylueſtre, BAVH. *pin.* 223.

Vbique in omni *Sibiria* copioſiſſime naſcitur. Duſchniza Ruſſis audit.

79. *CLINOPODIVM* capitulis ſubrotundis hiſpidis, bracteis ſetaceis, LIN. *Sp. pl.* 2. 821. *n.* 1.

Clino-

Clinopodium verticillis denſis, diſſitis foliis e menta, ouatis acuminatis, HALL. *Helv.* 653.

Singula capitula ſingulos ramos terminant.

In ſuperiore regione *Irtis* et *Ieniſeae* fluuii naſcitur.

80. *THYMVS* verticillis ſexfloris, caulibus erectis ſubramoſis, foliis acutis ſerratis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 826. *n.* 4.

Clinopodium verticillis paucifloris ab imo ad ſummum diſperſis, HALL. *helv.* 654.

In ſuperiore regione *Irtis* fluuii naſcitur.

81. *THYMVS* floribus capitatis, caulibus decumbentibus, foliis planis obtuſis, baſi ciliatis, LIN. *Sp. pl.* 2 *p.* 825. *n.* 1.

Serpyllum vulgare, DOD. *pempt.* 277.

Serpyllum vulgare minus, BAVH. *pin.* 220.

Thymus repens, foliis planis, floribus verticillato ſpicatis, ROY. *Lugd.* 325.

Thymus verticillis in ſummis ramis congeſtis, foliis ouatis, baſi ciliatis, flore minore, HALL. *helv.* 654.

1. *THYMVS* verticillis in ſummis ramis congeſtis, foliis ouatis, baſi ciliatis, flore maiore, HALL. *helv.* 655.

Serpyllum vulgare maius, BAVH. *pin.* 220.

2. *THYMVS* verticillis in ſummis ramis congeſtis, foliis ouatis et caule hirſutis, HALL. *helv.* 655.

Serpyllum ramoſiſſimum hirſutum, anguſtifolium, floſculis violaceis, AMM. *Ruth.* 67.

3. *SERPYLLVM* foliis citri odore, BAVH. *pin.* 220.

Thymus Ericae folio, odore Lauendulae, capitulis florum purpureis, GERB. *Tan. Mſt.*

Serpyllum odoratiſſimum glabrum, longiore anguſtioreque folio, AMM. *ruth.* 67.

4. *Thymus verticillis in ſummis ramis congeſtis foliis ouatis et caulibus hirſutiſſimis, flore maiore.*

Serpyllum anguſtifolium hirſutum, BAVH. *pin.* 220. STELL. *irc.* 186.

Varietates hae omnes pluresque minoris momenti aliae in omni *Sibiria* copioſe occurrunt. Ill. ab HALLER plures inde conſtituit ſpecies, ego cum Ill. von LINNE coniungo, non ſaltem vt rei fiat compendium, ſed quod ſufficientes rationes in promtu ſint. Idem quoque de varietatibus VAILLANTII iudico. Omnibus enim labium calycis ſuperius ſingularis ſtructurae eſt, folia baſi ciliata, in hirſutis pariter ac in glabris, ſubtus punctata et quaſi perforata. Radix, creſcendi modus, reliqua omnia conueniunt. Ruſſis hae varietates communi nomine *Bogorodskaja Trawa* veniunt.

82. *THYMVS* verticillis ſpicatis, rarioribus, in ſummis ramis, per caulem paucifloris.

Clinopodium ſupinum incanum, AMM. *ruth.* 66.

Naſcitur copioſe in omni *Iſetenſi* prouincia. Caules erecti ſunt, hirſuti. Folia glabra, ad baſin ciliata, et leuiter ſcrobiculata. Ceterum AMMANNVS conſulatur. An prioris varietas? vel an media ſpecies inter ſerpyllum et Acinum?

83. *THYMVS* erectus, foliis reuolutis ouatis, floribus verticillato-ſpicatis, ROY. *lugd.* 325. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 825. *n.* 2.

Naſcitur in ſuperiore regione fluuii *Irtis*.

84. *MENTHA* ſpicis oblongis, foliis ſubrotundis rugoſis crenatis ſeſſilibus, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 805. *n.* 3. HVGDS. *fl. angl.* 221.

Habitat in regione fluuii *Irtis*.

85. *MENTHA* foliis verticillatis, foliis ouatis acutis ſerratis, ſtaminibus corollam aequantibus, ROY. *l.* 326. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 806. *n.* 9.

Mentha aruenſis verticillata procumbens, MOR. *ſ.* 11. *t.* 7. *f.* 5.

In omni *Sibiria* naſcitur.

86. *MENTHA* ſpicis oblongis, foliis oblongis tomentoſis ſerratis ſeſſilibus, ſtaminibus corolla longioribus, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 804. *n.* 1.

Men-

Menthaſtrum ſpicatum folio longiore candicante, BAVH. *hiſt.* 3. *p.* 321.

Mentha foliis elliptico-lanceolatis, verticillis in ſpicam nudam continuatis, HALL. *helv.* 658.

Ad ſuperiorem regionem fluuii *Irtis* naſcitur.

87. *MENTHA* ſpicis capitatis, foliis ouatis ſerratis petiolatis, ſtaminibus corolla longioribus, LIN. *Sp. pl.* 2. 805. *n.* 5.

STELLERVS ab *Ircutia* ad Oceanum vsque orientalem obſeruauit.

88. *LYCOPVS* foliis ſinuato-ſerratis, LIN. *Sp.* 1. 30. 1.

In omni *Sibiria* naſcitur.

89. *AMETHYSTEA*, LIN. *Sp.* 1. *p.* 30. 1.

Amethyſtina montana erecta, foliis exiguis digitatis, trifidis ſerratis, floſculis cum coma e caeruleo-ianthinis, MESS. AMM. *ruth.* 70.

Chamaedrys montana odorata, flore minore caeruleo, cannabis folio, STELL. *Irc.* 194.

Cum Lycopo adfinitatem magnam habet, differtque tantum calyce et corolla quinquefida, ſeminibusque oblongis.

Planta fragarntiſſima, talemque naribus offerens gratiam, qualem meliſſa Baſilici in ſocietatis faſciculum adlecto. Caules ſemine maturo caeruleſcunt.

Ab *Ieniſea* ad *Angaram* et lacum *Baicalem* vsque naſcitur.

CLAS-

CLASSIS XIII.

SILIQVOSAE.

1. MYAGRVM filiculis obouatis pedunculatis polyſpermis, ROY. *l.* 330. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 894. *n.* 6.

Alyſſon ſegetum foliis auriculatis acutis, TOVRN. *inſt.* 217. BOERH. *lugd.* 2. *p.* 4. GM. *Ind. Ien.* 1019.

1. Idem pumilum.

2. Idem foliis et caulibus hirſutiſſimum.

In omni *Sibiria* naſcitur, varietas I. loca editiora amat, vixque longitudinem duarum vel trium vnciarum attingit. Eadem quoque Petropoli in vrbe et ad vias extat. Varietatem II. STELLERVS in *Kamtſchatca* legit, et praeter id, quod maxime hirſuta ſit, foliis etiam gaudet valde laciniatis.

2. *MYAGRVM* filiculis lentiformibus orbiculatis, punctato-rugoſis, LIN. *Sp.* 2. *p.* 894. *n.* 7. ROY. *lugd.* 330.

Cochlearia ſiliculis ſphaericis monoſpermis compreſſis rugoſis, SCOP. *fl. Carn.* 511. *n.* 1.

Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, BAVH. *pin.* 109.

Myagrum monospermum, hirsutum siliquis rotundis, LOES. *pruss.* 124. *t.* 56.

Alysson foliis auriculatis et acutis, minus ramosum et asperius, GM. *Ind. Len.* 361.

In omni *Sibiria* frequens est. Caulis pedalis et vltra, simplex, candidis pilis hirsutus. Folia pilosa et minutissimis quasi tuberculis exasperata. Inuenitur aule crasso, foliisque maioribus, et caule tenero, foliisque minoribus.

3. *ISATIS* foliis radicalibus crenatis, caulinis sagittatis, siliculis oblongis, ROY. *lugd.* 330.

Isatis sylvestris s. angustifolia, BAVH. *pin.* 113.

Myagrum monospermum, GM. *Irt.*

Nascitur in omni *Sibiria*.

A quibusdam лѣтнякъ vocatur, et sub forma cataplasmatis vlceribus apertis adplicatur. Puluis quoque plantae vlceri inspergitur.

4. *ALYSSVM* ramulis suffruticosis diffusis, foliis punctato-echinatis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 907. *n.* 2. IACQ. *Vind. p.* 258. *n.* 56. cum descr. bona.

Alyssum foliis lanceolatis obtusis incanis, caulibus procumbentibus, radice perenni, LIN. *h. Cliff.* 332. ROY. *l.* 331.

1. *Thlaspi montanum luteum*, BAVH. *hist.* 2. *p.* 928. *t.* 929. 2.

2. *Alyſſon perenne montanum incanum folio anguſtiore et denſius congeſto*, GM. *Ind Ien. n.* 1013.

3. *Alyſſon alpinum hirſutum luteum*, STELL. *Irc. n.* 208.

(Hoc TOVRNEFORTII ſynonymon STELLERVS huc retulit, illique iunxit illud BAVHINI: Sedum alpinum hirſutum luteum, Pin. 108. quae vtraque magis ad *Drabam* alpinam ſpectare videntur.)

In arenoſis ſyluis elatioribus ad radices rupium, *Barguſinenſi* munimento imminentium, vt in omni *Sibiria*, LERCHIOQVE, egregio Viro, teſte, ad *Wolgam* etiam abunde naſcitur. Radice lignoſa, tereti et luteſcente nititur. Ea in arenam immittitur, ramis quaqua-verſum ſparſis, ad flores vsque arena obductis. Folia oblonga, vna tertia pollicis parte non nihil longiora, acuta, anguſta, vtrinque incana, a radicis corona ad faſtigium denſiſſime et quaquauerſum ad caulem poſita, ſedi vermicularis more flores lutei.

5. *ALYSSVM* caule erecto, foliis lanceolatis incanis integerrimis, floribus corymboſis, ROY. *l.* 331. LIN. *Sp. pl.* 2. 908. *n.* 6.

Thlaſpi incanum machlinienſe, LOB. *ic.* 216. CLVS. *hiſt.* 2. *p.* 132.

Thlaſpi capſulis ſublongis incanum, BAVH. *hiſt.* 2. 929.

Thlaspi fruticosum incanum, B. *pin.* 108.

Alysson fruticosum incanum, TOVRN. *inst.* 217. STELL. *Irc.* 209.

Planta *Sibirica* folia habet vulgari multum angustiora, neque ad tantam altitudinem adsurgit. Ceterum omnino eadem. Caules suberecti, per omnem longitudinem foliolis cincti lanceolatis, alternis incanis integerrimis, neque fasciculatis. Flores corymbosi. Floret mense Augusti in regione *Ircutiae*.

6. *CLYPEOLA* siliculis bilocularibus ouatis dispermis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 910. *n.* 2.

Thlaspi alyssum dictum campestre maius, BAVH. *pin.* 31.

Thlaspi alyssum dictum, campestre minus, BAVH. *pin.* 31.

Alysson incanum luteum, serpillifolio maius, TOVRN. *Inst.* 217. STELL. *Irc.* 206.

Alysson incanum serpillifolio minus, TOVRN. *inst.* 217. STELL. *Irc.* 207. GMEL. *Ien.* 1016.

Clypeola siliculis bilocularibus tetraspermis, LINN. *h. Cl.* 329. ROY. *l.* 332.

Clypeola annua, siliqua biloculari emarginata, stylo breui, HALL. *helv.* 540.

Maior in rupibus ad lacum *Baikal* abunde floret, et minor in arenosis locis ibidem.

7.

7. *DRABA* caule ramoſo, foliis cordatis dentatis amplexicaulibus, ROY. *l.* 333. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 897. *n.* 4.

Burſa paſtoris maior loculo oblongo, B. *pin.* 32. TOVRN. *inſt.* 14.

Alyſſon folio Veronicae, floribus luteis, BVXB. COMM. PETR. *T. III.* 273.

Alyſſon Veronicae folio elatius, flore luteo minore, GM. *Irc.* 548. STELL. *Irc.* 202.

Alyſſon Veronicae folio humilius, flore luteo maiore, GM. *Irc.* 548.

Folia plus minusue crenata, interdum et integra non amplexicaulia. Magnitudine et ramoſitate mirum variat. Varietas eſt, in qua partes omnes minores ſunt, floribus exceptis maioribus. Tam in montoſis, quam in humilioribus ſiccis et pinguibus locis frequentiſſima eſt, quam primum nix diſparuit omnis, et vsque ad Auguſti initium floret.

8. *THLASPI* ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis dentatis glabris, ROY. *lugdb.* 333. LIN. *Sp.* 2. 901. *n.* 2.

Thlaſpi aruenſe ſiliquis latis, BAVH. *pin.* 105.

In omni *Sibiria* frequentiſſimnm eſt.

9. *THLASPI* ſiliculis obcordatis, foliis radicalibus pinnatifidis, LIN. *Sp.* 2. *p.* 903. *n.* 10. ROY. *lugd.* 334. HALL. *helv.* 545.

Bursa pastoris maior, folio non sinuato, BAVH. *pin.* 108. STELL. *Irc.* 200. GM. *Ien.* 1010.

Bursa pastoris maior, folio sinuato, BAVH. *pin.* 108. STELL. *Irc.* 201.

Nascitur in omni *Sibiria* in *Kamtscatkam* vsque.

10. *LEPIDIVM* floribus diandris apetalis, foliis radicalibus dentato - pinnatis, ramiferis linearibus integerrimis, LIN *sp.* 2. *p.* 900. *n.* 14. ROY. *pr.* 335.

Thlaspi montanum flore minimo, GM. *Irc.* 540.

Ad *Ieniseam* et *Angaram* frequens est.

11. *LEPIDIVM* foliis inferioribus lanceolato-serratis, superioribus linearibus integerrimis, floribus diandris tetrapetalis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 900. *n.* 16. ROY. *lugd.* 334.

Chirurgus, qui comitatui sinico interfuit, in Krasnagora intra murum sinicum collegit.

12. *LEPIDIVM* foliis cordatis, superioribus amplexicaulibus, HALL. *helv.* 546.
Tab. LVI. f. 1.

Bursa pastoris montana globulariae folio, TOVRN. *Inst.* 216.

Alysson foliis globulariae adfine, GMEL. *ind. Len.* 362.

Radix

Radix crassiuscula, parum fibrosa, biceps, externe lutescens, interne alba. Folia ad eam in circulum posita, oblonga, plerumque integra, mucronata, succulenta, pilis hinc inde obsita, laete viridia, gustus primo acris, postea fatui. Inter ea caulis plerumque adscendit vnus, duo vel tres interdum, dodrantales et minores, teneri, subasperi foliis vestiti haud procul a radice generis eiusdem, at dissitis, interuallo haud aequali, plerumque crenatis, sessilibus, magis acuminatis. Flores in capitulum terminale congesti. Petala candicantia, aequalia, in extremitate leuiter emarginata siliculae mihi visae maiores, oblongae, haud emarginatae. Ab *Ienisea* in regiones *transbaicalenses* et ad *Lenam* vsque fluuium in montosis frequens est.

13. *LEPIDIVM* foliis lanceolatis, caule nudo. Tab. LVI. II.

Alysson polygoni folio, caule nudo, flore flauo, GMEL. *Ind. Len.* 363.

Radix tenuis, albescens. Cauliculi ex ea prodeuntes, palmares et dodrantales super terra fere repentes, subhirsuti, inferius vestiti foliis lanceolatis, raris, alternis, acuminatis, candicantibus, pilis, inprimis ad oras, hirsutis; postea nudi. Flores in summitate subspicati, singulo pedicellato, maiusculo, flauo. Petala oblonga, emarginata, cordata. Calyx hispidus. Siliculae oblongae, depressae. Nascitur ab *Ienisea* ad *Lenam* et ad mare orientale vsque.

14. *COCHLEARIA* foliis radicalibus ſubrotundis, caulinis oblongis ſubſinuatis, ROY. *lugd.* 335. LIN. *Sp pl.* 2. *p.* 903. *n.* 1.

Cochlearia folio ſubrotundo, BAVH. *pin.* 110.

Ochotio et *Kamtſchatka* miſſa eſt.

15. *COCHLEARIA* foliis radicalibus lanceolatis crenatis caulinis inciſis, ROY. *l.* 336. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 904. *n.* 6.

Raphanus ruſticana, BAVH. *pin.* 96.

16. *BVNIAS* ſiliculis obtuſe triangulis foliis inferioribus ex ſinuato-dentatis ſuperioribus lanceolatis dentatis. Tab. LVII.

Bunias ſiliculis ouatis gibbis verrucoſis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 936. *n.* 3.

Radix perquam ſcabra, nigricans, ad exortum duas fere vncias craſſa, paulatim tenuior, per omnem ſuperficiem fibris tenuiſſimis criſpis capillata, et paſſim craſſiuſculis longis fibris aucta, intus alba, cubitalis, guſtu aliquantum acris.

Caules multi, bicubitales, et vltra, a media parte alternatim ramoſi, ramis plerisque faſtigiatis, albentibus pilis hiſpidi, atque praeterea glandulis nectariferis, ſphaericis, minimis, petiolis breuiſſimis inſidentibus, per omnem ſuperficiem adſperſi, teretes, ſuperiora verſus ſtriati, ad exortum ſature violacei, et poſtea pallide virides.

Folia

Folia radicalia vna cum costa aliquousque praelongata, pedalia, lanceolata, dentata, basin versus lyrata, siue ex sinuato-dentata, breuibus rigidisque pilis vtrinque hispida, costa hispidissima, gustu aliquantum acria. Folia caulina ab imo fere caule alterna, et inferiora quidem radicalium ad instar conformata, nisi quod minora sint, atque insuper secundum costas et venas caulis instar inferius glandulosa, quarum etiam glandularum in aridis etiam foliis vestigium aliquod superest, macula scilic. nigricans siue obscure fusca. Suprema folia simpliciter dentata et pariter glandulosa, quo superiora, eo minora, in summo caule semiuncialia.

Ramis caulium instar glandulosis alternatim pedunculi insident, semiunciam et tres vnciae quadrantes longi, glandulosi, quorum singulis flos insidet, suaue odorus, petalis cum foliolis calycinis cruciatim dispositis. Pedunculi duo aut tres infimi aliquibus foliolis circumuallantur, nullis reliqui.

Calyx tetrephyllus patens, foliolis ouatis, e viridi lutescentibus, acutis, aliquantum concauis. Corolla tetrapetala flaua, limbis patentibus, subrotundis, integris, raro leuiter emarginatis, vnguibus linearibus, calyce breuioribus. Filamenta subulata. Antherae oblongae, basi paulo latiores, acutae, sulcatae, patentes, erectae. Intra filamentum breuius et germen duo glandulae nectariferae disponuntur, viridi colore se distinguentes. Germen teres, glandulis ad dimidiam altitudinem vsque asperum. Stylus nullus stigma obtusum,

ſum, per ſulcum diuiſum. Silicula obtuſe triangula, oſſiculo triangulo foeta, obducto propria membrana, Kali ſemini analoga, tribus plerumque ſpiris intorto, quae plerumque ſiniſtrorſum gyrantur, interdum autem duae externae dextrorſum, interna ſiniſtrorſum flectuntur. Saepe etiam ſilicula oblongior et duobus loculis excauata eſt, ſepto communi diſtinctis, quorum ſinguli ſemen continent.

Naſcitur in *Iſetenſi* prouincia a *Iaico* ad *Minſum* vsque fluuium in campis apricis.

Magnam analogiam habit cum *crambe orientali*, *dentis Leonis folio*, *erucaginis facie* TOVRN. *Cor.* I. R. H. 14. Sed differt ab eo eximia altitudine et ſiliculae forma externa.

Quam Cel. von LINNE in ſpeciebus plantarum adlegauit *Buniadem Cornutam*, fateor incognitam mihi plantam eſſe, cuius in herbario PATRVI ne veſtigium quidem extat.

17. *HESPERIS* foliis longioribus glabris, rariter dentatis, HALL. *helv.* 563.

Leucoium ſylueſtre, CLVS. *hiſt. p.* 299. *t.* 310.

Heſperis leucoii folio non ſerrato, *ſiliqua quadrangula*, TOVRN. *inſt.* 223. *folio ſerrato*, *ibid.* — *humilior et folio ampliore*, GM. *Ind. Ien.* 1029.

Heſpe-

Hesperis leucoii folio non serrato, fruticosa, GMEL. *Ind. Ien.* 1030.

Hesperis Leucoii folio non serrato, fruticosa, dura asphodeli radice, GMEL. *Ind. Ien.* 1031.

—— —— *virgis simplicibus*, *ibid. n.* 1032.

Erysimum foliis lanceolatis serratis, ROY. *lugd.* 343. LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 923. *n.* 6.

Mira est hac in planta varietas, vt qui exercitatus non sit, plures iusto facile constituat inde species. Radix plerumque tenuis, alba simplex, modo et dura, asphodeli instar. Interdum ramosissima obseruatur, interdum caule simplicissimo adscendit. Folia vel integra, vel denticulata, et haec quidem vel insigniter, vel vno tantum et altero dente notata, interdum glaberrima, saepissime scabra, interdum vnciam lata, saepissime vix lineam. Siliquae nonnunquam satis arcte cauli adpressae, nonnunquam satis extantes, aut longiores aut breuiores, quadrangulae, capitulo fungoso terminatae. Flores caulem et ramos terminantes, perpetuo lutei, sed omnibus in varietatibus minores, quam quidem Auctores volunt. Malui et ego cum generosissimo ab HALLER TOVRNEFORTIVM sequi, hancque plantam sub Hesperide recensere, ob calycis foliola deorsum gibba, et semina non emarginata.

18. *HESPERIS* caule simplici erecto, foliis ouato-lanceolatis denticulatis, petalis mucrone emarginatis, ROY. *lugd.* 338. LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 927. *n.* 2. Tab. LVIII.

Viola matronalis, DOD. *pemt.* 161.

Hesperis hortensis, BAVH. *pin.* 202.

Hesperis purpureo flore, folio pallido et minus serrato, GMEL. *Ind. Len.* 368.

1. Eadem flore candido.

2. Eadem flore dilutissime purpureo.

Altitudo tricubitalis, interdum vix pedalis. Folia pallidiora et minus serrata. Spica florum bi-et triuncialis, in altissimis semipedalis. Siliquae articulatae. Semina cylindracea. Caulibus nonnunquam occurrit hispidissimis, varietas II. e semine *Sibirico* enata est, et floribus minoribus albis vel leuissima rubedine perfusis gaudet, in commissura tamen vnguium cum limbis petalorum, purpureo colore viuido adparente. Odor caryophillaceus remissus suauis.

In omni *Sibiria* nascitur.

19. *HESPERIS* caule simplici, foliis lanceolatis, vix dentatis, siliquis virgatis.

Hesperis pilosa, minor, angustifolia, floribus amplis, purpureis, AMM. *ruth.* 73.

Hesperis purpurea minor, angusto, crasso et piloso Leucoii folio, GM. *Ind. Iend.* 1022.

Hesperis purpurea elatior, piloso, crasso et plerumque dentato folio, GM. *Ind. Ien.* 1024.

Hespe-

Hesperis purpurea elatior, angusto, crasso, et piloso Leucoii folio. GM. *Ind. Ien.* 1023.

Sinapi foliis leuiter serratis, angustis, flore rubente, GM. *Ind. Irt.*

Hesperis caule simplici, foliis lanceolatis dentato-serratis, petalis obtusissimis integris, LIN. *sp. pl.* 2. *p.* 927. *n* 3.

I. Eadem floribus albis.

Hesperis minima angustifolia, incana et pilosa, floribus albis, AMM. *ruth.* 74.

Ad descriptionem AMMANNIANAM et LINNEANAM addatur: siliquae quadrangulae, compressae, torulis distinctae, cum caule parallelae.

In omni *Sibiria* nascitur.

20. *HESPERIS* foliis linearibus, siliquis glabris.

Hesperis angustifolia incana, foliis amplis luteis siliquis breuioribus, AMM. *ruth.* 77.

Hesperis eadem siliquis longioribus, AMM. *ruth.* 76.

I. Eadem caule latissimo.

Radix carnosa alba, pennae olerinae crassitie, palmaris caulescens. Caulis teres, infra hispidus, supra glaber, pallide viridis, aliquantum passim contortus, bicubitalis, superiora versus ramosus. Folia lanceolata, per biuncialia, vncialia, et minora interualla,

alterna, inferiora ſaepe baſi dentato - pinnata, ſaepe etiam vno vel altero tantum dente inſtructa, ſuperiora integra lineari - lanceolata, craſſa, aliquantum ex glauco viridia, ex alis ſingulorum prodeuntibus plerumque duobus foliolis linearibus, vncialibus et minoribus, anguſtiſſimis. Sapor eminens nullus. Rami palmares multoque etiam minores, nudi, aut duobus admodum foliis minoribus veſtiti, alternis. Flores terminales, quinque ad quindecim, pedunculati. Calyx tetraphyllus, foliolis baſi haud gibbis, concauis, coloratis, in medio aliquantum recedentibus adeoque leuiter arcuatis, duobus ſitu inferioribus. Petala ouata, obtuſa, erecto-patentia, vnguibus longitudine calycis. Antherae inferius bifidae, mucronatae. Glandula nectarifera [inter germen et filamentum breuius, hocque penitus cingens. Germen cylindricum tenue, ſtaminibus breuius. Stylus nullus. Stigma capitatum, per medium ſulcatum. Siliqua modo longa, modo breuis.

In omni *Sibiria* frequens eſt. Varietas I. ad *Lenam* creſcit, caulem producens, vltra vnciam latum, foliolis capillaribus, numeroſis, corymbo terminali ſphaerico, compoſito floribus pedunculatis, forma et ſtructura prioribus ſimilibus.

An haec planta forte cheirathus eryſimoides LINNEO eſt?

21. *HESPERIS* caule ramoſiſſimo, foliis linearibus, pedunculis glabris.

Heſperis fruticoſa, anguſtiſſimo folio, ſiliquis virgatis, GM. *Ind. Ien.* 1034.

Radix

Radix ſimplex, biuncialis, tenuis, lignoſa, aliquot fibris ſecundum longitudinem aucta. Virgae plus minus pedales, tenues, lignoſae virentes, hinc inde flaueſcentes atque nitentes, ad dimidiam fere altitudinem nudae, tum ramoſae, ramis et caule foliis veſtitis minimis ad oras piloſis, vtrimque laete viridibus. Caulis, ex quo ramoſus fieri incipit, et rami, qui tenues ſunt et cauli prope paralleli, breuibus rigidis albentibusque pilis obſiti. Spicae floriferae in extremitate caulium et ramorum, floribus compoſitae, pediculis breuibus pendentibus, pallide purpuraſcentibus, exiguis, quibus ſtrictiſſimae ambitu rotundo ſuccedunt ſiliquae, aliquantum nodoſae, ſesquiunciales, cauli fere parallelae, foetae ſeminibus minutis, nec emarginatis. Binas mox recenſitas plantas ſi quis ad ſiſymbrii genus referre vellet, non multum me alienum habebit, cum integrifolio multum conueniunt.

22. *TVRRITIS* foliis omnibus hiſpidis, caulinis amplexicaulibus, ROY. *t.* 339. LIN. *ſp.* 2. *p.* 930. *n.* 2.

Turritis foliis aſperis dentatis, caule ſimplici, HALL. *helv. p.* 561. *n.* 3.

Naſcitur in omni *Sibiria* in *Kamtſchatcam* vsque. Ad *Ieniſeam* tamen fluuium raro occurrit. Plantae *Kamtſchaticae* flores maiores eſſe videntur.

23. *TVRRITIS* foliis radicalibus dentatis hiſpidis, caulinis integerrimis, amplexiicaulibus glabris, LINN. *ſp. pl.* 2. *p.* 900. *n.* 1. ROY.

Turri-

Turritis foliis inferioribus cichoraceis, ceteris perfaliatae, I. R. H.

In omni *Sibiria* nascitur.

24. *TVRRITIS* foliis radicalibus sinuato-dentatis hispidis, superioribus linearibus, integerrimis, T. LIX.

Hesperis lutea siliquis strictissimis, TOVRN. I. R. H. 222?

Radix longa, vix fibrosa, debiliore raphani sapore. Folia ad eam glauca, crassa petiolata, sinuato-dentata, glabra; vel albentibus pilis obsita. Caules pedales, foliis vestiti integris, sessilibus, linearibus, quo superioribus, eo minoribus, substantia priorum. Flores caulem ramosque terminantes, albi, maiusculi. Calyx breuissimus. Petala rotunda, pulchre venosa. Antherae luteae. Siliqua longissima compressa. Semina lutescentia, feré plana, ala foliacea cincta.

In regione munimenti *Olecmensis*, vt ad omnem *Lenam* fluuium copiose nascitur.

25. *ARABIS* caule nudo, LIN. AM. *ac. Vol. II. p.* 358. *t.* 4. *f.* 20.

In *Kamtschatca*, STELLERO obseruante, nascitur.

26. *ARABIS* foliis amplexicaulibus dentatis caule erecto simplicissimo, siliquis pendulis. Tab. LX.

Turri-

Turritis latifolia hirsuta, siliquis pendulis, AMM. *ruth.* 79.

Arabis foliis amplexicaulibus, siliquis anticipitibus, linearibus, calycibus subpilosis, LIN. *sp.* 2. *p.* 930. *n.* 7.

Radix alba, lignosa, biceps. Caulis ad tres saepe cubitos adscendens, et pro varia altitudine varie crassus, sulcis profundis excauatus, crebrisque pilis hispidus. Folia alterna, vtrinque hirsuta, ad oras serrata, e lata leuiter auriculata basi in acutum mucronem abeuntia, supremis sensim sensimque angustioribus et breuioribus. Flores vel e foliorum alis, vel terminales, posteriores in spicam congesti, saepe dodrantalem. Calyx tetraphyllus, foliolis rubentibus. Corolla alba, petalis oblongis. Antherae flauae. Siliqua longa, stricta, aliquantum compressa, pendula seminibus planis, leuiter emarginatis, coloris aurantii referta.

Ad omnem *Lenam* ocurrit sub finem Iunii florens.

27. *ERVCA* foliis subtriangularibus, ex sinuato-dentatis glabris. Tab. LXI.

Caules procumbentes, dodrantales. Folia ouata, sinuato-dentata, superiora amplexicaulia, inferiora petiolata, infra basin duobus aut tribus paribus foliolorum exiguorum, per coniugationes aut alternatim positorum, simplicium, biloborum et triloborum aucta, aliquantum ex glauco-viridia, infra pallidiora. Flores

in ſummitate caulium et ramorum plures, ſubſpicati, pedunculati, pedunculis ligulatis. Calyx arcte adpreſſus, foliolis oblongis, carinatis, baſi et ad oras pallide rubentibus, cetera viridibus, duobus longioribus, baſi gibbis. Flos purpuraſcens, vnguibus calyce longioribus, limbo ouali, parum reflexo, verſus vnguem criſpo. Antherae oblongae, baſi fiſſae, apice infra flexae. Glandulae nectarifera depreſſa rotunda, parua, inter germen et filamentum breuius vtrinque. Filamenta maiora ad baſin quoque glanduloſi aliquid obtinent. Germen oblongum, quadrangulum, leuiter rubens. Stylus teres, craſſiuſculus, germine tamen tenuior, vncialis. Stigma bifidum. Subnaſcitur ei lobus vtrinque oblongus, ſpongioſus, ſecundum ſtylum inferiora verſus aliquousque extenſus, arcte adnatus, et leuiter hirſutus.

E ſemine ſinico in horto academico enata eſt.

An eſt *Braſſica violacea*, LINNAEI?

28. *RAPHANVS* foliis pinnatis, pinnis confluentibus, ſiliquis teretibus articulatis vnilocularibus, GM. *hort. ſic.*

Raphanus ſiliquis teretibus toruloſis villoſis, foliis linearibus pinnatifidis, LINN. *ſp. pl.* 2. *p.* 939. *n.* 3.

Habitus omnino Erucae, folia laete viridia, brevibus rigidisque pilis aſpera. Corollae flauae, vel pallidae, maiuſculae, ſuaue olentes. Petala cordata. Siliquae

quae articulis interceptae in cornu fungosum desinunt. Caules procumbentes, hispidi.

In superiore *Ienisseae* fluuii regione a *Krasnoiario* frequens nascitur.

29. *BRASSICA* radice caulescente fusiformi, ROY. *l.* 344. LINN. *sp.* 2. *p.* 931. *n.* 3.
Napus sylvestris, BAVH. *pin.* 95.

In omni *Sibiria* nascitur.

30. *BRASSICA* radice cauleque tenui, foliis omnibus vniformibus, cordatis sessilibus, ROY. *l.* 344. LIN. *sp.* 2. *p.* 931 *n.* 2.

Nascitur in omni *Sibiria*.

31. *SILYMBRIVM* siliquis globosis.

Alyssum aquaticum, foliis variis, GMEL. *Ind. Len.* 364.

Multae radices longae albaeque, profunde in limo nidulantes, in vnum caput coalescunt. Sapor raphano analogus, sed aquosior, caules quadripedales et vltra, sub aqua super limo repentes, et demissis ex inferiore sui parte radiculis cum limo cohaerentes folia inferiora, in lacinias teretes ramosas et angustissimas diuisa, gelatinae ad instar mollia, hydatidibus tumentia, ex aduerso bina. Ex illis, quae paulo superiora sunt, integra, petiolata, sature viridia ex eodem geniculo tria vel quatuor. Adscendens ex aqua caulis,

angulosus striatus, incuruatus, varie ramosus ramis ad exortum folio adnato, longo, angusto, versus extremitatem leuiter serrato. Flores terminales, alterni, pedunculati lutei. Petala vel integra, vel leuiter incisa. Calyx concolor. Capsula subrotunda, paululum compressa leuiter emarginata.

Ad *Lenam* fluuium nascitur.

32. *SISYMBRIVM* siliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis lanceolatis serratis, ROY. *l.* 341. LINN. *sp. pl.* 2. *p.* 916. *n.* 4.

Eruca quibusdam sylvestris, repens flosculo luteo, BAVH. *hist.* 2. *p.* 806.

1. Idem foliis amplioribus glabris.

2. Idem foliis amplioribus hirsutis.

In omni *Sibiria* nascitur.

33. *SISYMBRIVM* foliis pinnatis, pinna extrema amplissima, subrotunda, HALL. *helv.* 549.

Erysimum foliis lyratis extremo subrotundo, LIN. *sp.* 2. *p.* 922. *n.* 2.

In omni *Sibiria* nascitur.

34. *SISYMBRIUM* foliis pinnatis angulosis, floribus super folia vix elatis, HALL. *helv.* 549.

Sisymbrium siliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis subcordatis, LIN. *sp.* 2. *p.* 316. *n.* 1.

In

In omni *Sibiria*, ſed rarius prouenit.

35. *SISYMBRIVM* foliis pinnatis, pinnis ouatis ſerratis. Tab. LXII.

Siſymbrium dentariae facie, GM. *Ind. Len.* 380.

Siſymbrium dentariae facie, elatius, folio ampliore et viridiore, GM. *Ind. Ien.* 1037.

Radix fibroſa, alba, viticulis repens, e quorum internodiis fibrae in terram demittuntur. Caulis ſolitarius, profunde ſtriatus, ſesquicubitalis, obſolete piloſus, foliolis veſtitus alternatim pinnatis, pinnis ouatis, inciſis hiſpidis. Flores terminales, ſpecioſi, ſubſpicati. Petala rotunda, plerumque emarginata. In icone flores nimium parui delineati ſunt, et hirſuties praetermiſſa.

Circa *Mangaſeam* vrbem creſcit.

36. *SISYMBRIVM* foliis pinnatis, pinnis integerrimis confluentibus, ſiliquis breuioribus.

Siſymbrium montanum, incano naſturtii hortenſis folio, GM. *Ind. Ien.* 1042.

Heſperis montana polemonii folio, flore albo, ſiliqua breui quadrangula. STELL. *Irc.* 224.

Radix perennis, foris fuſca, intus alba, in ſabulo vel petrarum commiſſuris infixa. Folia ad eam pinnata, pinnis ouato-oblongis integris, hirſutie incana. Inter ea caulis ſurgit vel vnus, vel plures, do-

drantales, erecti modo, modo procumbentes, ramosi, ramis sibi similibus et ad florum exortum vsque foliosis. Flores in corymbum congesti, alias tertias caulis partes occupantem. Corollae candidae. Calyx deorsum flexus. Siliqua breuis, quadrangula ab vtraque parte acuminata, bilocularis. Semina punicea.

In asperis apricis praeruptis, sterilioribus rupibus ad ostium *Angae* fluuii in lacum *Baicalem* influentis, crescit.

37. *SISYMBRIVM* pinnis foliorum pinnatis, pinnulis linearibus, glaberrimis. Tab. LXIV.

Radix perexigua, tenuissime fibrosa. Caulis vix dodrantalis infra purpurascens, aut sature purpureus, ibidemque vel rudimentis foliorum vel foliis emarcidis vestitus, paulatim viridi colore tingi incipit, folia emittit et ramos, sat copiosos, caulis fastigium raro attingentes, caulis instar foliosos. Rami floriferi ex alis foliorum biunciales et palmares, quibus alternatim flores haerent perquam exigui, candidi, petalis leuiter emarginatis conflati, quos siliquae sequuntur valde graciles, pediculo, angulum fere semirectum cum caule efficiente, insistentes, ipsi cauli parallelae, aliquantum nodosae.

A *Iaico* fluuio ad *Obum* vsque frequens est.

38. *SISYMBRIVM* foliis linearibus integerrimis, pedunculis glutinoso-hispidis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 912. *n.* 25.

Hespe-

Hesperis caule ramosissimo foliis linearibus, pedunculis hispidis, GM. *Mst.*
Tab. LXIII.

Hesperis montana psyllii folio, valde ramoso, flori amplo purpurascente, STELL. *Irc.* 223.

I. Idem floribus luteis.

Radix tenuis, lignosa, parum fibrosa. Caulis modo procumbens, modo erectus, semper glutinoso hispidus. Folia linearia, glabra, carinata. Flores purpurei caulem ramosque racematim, terminantes. Siliquae longae, teretes cylindraceae, interdum totae nigricantibus tuberculis asperae, interdum modo inferius.

In montosis sabulosisque locis ab *Ienisea* in regiones *transbaicalenses* vsque nascitur.

39. *CARDAMINE* foliis pinnatis, foliolis radicalibus subrotundis, caulinis lanceolatis, LIN. *Sp.* 2. *p.* 915. *n.* 13.

In omni *Sibiria* nascitur.

40. *CARDAMINE* foliis pinnatis, axillis stolloniferis, LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 915. *n.* 14.

Nasturtium aquaticum maius et amarum, BAVH. *pin.* 104.

Cardamine foliis pinnatis, pinnis subrotundis angulosis, HALL. *helv.* 558.

In omni *Sibiria* nascitur.

41.

41. *CARDAMINE* foliis trifidis acutis, laciniis integris vel incisis, caule erecto. Tab. LXV.

Cardamine alpina minor resedae foliis, flore purpurascente, TOVRN. I. R H. *eademque flore albo*, STELL. *Irc.* 233. 234.

Altitudo dodrantalis. Radix alba, fibrosa, fibris globulis cordiformibus auctis. Folia radicalia nulla Caulina trifida vel quinquefida, herbide viridia, diuisura ad Resedae folia accedentia. Flores terminales maiusculi, siliquae admodum elasticae.

A *Tomo* fluuio orientem versus in *transbaicalenses* vsque regiones et ad *Lenam* vsque fluuium vbique frequens est.

42. *CARDAMINE* foliis oblongis sessilibus, ad radicem in rosam dispositis, siliquis breuibus, T. LXVI.

Caules pedales et cubitales, hinc inde torti, pilosi. Folia ad terram in orbem expansa, oblonga et angusta, integra, dentata, succulenta, vtrinque splendentia, aspera, ad oras lanuginosa, saporis nulli. Folia caulina, rara, substantiae eiusdem, frequentius dentata. Flores in summitate caulis singuli, pedunculati, albi. Petala bifida, subrotunda, calyce quadrifido, leuiter hirsuto, obuoluta. Capsula valde compressa, semiuncia longior, quae antequam maturitatem nacta est, strombi ad instar contorquetur.

In

In locis arenosis circa *Mangaseam* et *Ienisseam* occurrit.

43. *CARDAMINE* foliis ex lineari - lanceolatis, sinuato - dentatis, caulibus nudis, siliquis compressis, inter semina strictis, GM. *Mst.*

Cardamine foliis simplicibus lanceolatis sinuato-dentatis, caulibus nudis, LIN. *sp.* 2. *p.* 913. *n.* 3.

Incertae sedis planta, quod flores non obseruati fuerint. Caules dodrantales, nudi. Folia glabra, firma, tres circiter vncias longa. Siliquae aut vno, aut duobus, aut tribus quatuorue loculis distinctae compressae, inter semina graciles, stilo terminatae striatae, glabrae.

Inter *Iacutiam* et *Ochotium* STELLERVS collegit.

CLASSIS XIV.

COLVMNIFERAE.

1. GERANIVM pedunculis ſimplicibus vnifloris, ROY. *lugd.* 350. LIN. *Sp. pl.* 2. *p.* 958. *n.* 56.

GERBERVS ad *Tanaim* collegit.

2. *GERANIVM* pedunculis plerumque vnifloris, foliis quinquepartitis acutis, foliolis pinnatifidis, GM. *Mſ.* LIN. *Sp.* 2. *p.* 957. *n.* 25 Tab. LXVII.

Naſcitur a *Iaico* ad *Ieniſeam* vsque fluuium, hinc deficere incipit.

3. *GERANIVM* pedunculis bifloris, petalis integris obtuſiſſimis longitudine calycis, caule proſtrato, foliis reniformibus inciſis, LINN. *Sp.* 2. *p.* 957. *n.* 53. *cum ſyn.*

In *Transbaicalenſibus* regionibus et ad *Lenam* vbique frequens eſt.

4. *GERANIVM* pedunculis bifloris, foliis ſubpeltatis multipartitis pinnato-laciniatis rugoſis, acutis, petalis integris, LINN. *Sp.* 2. *p.* 954. *n.* 42. cum ſyn.

Ruſſice dicitur копуцетоя пруцъ, et fere panaceae nomen ſortitum eſt. Vſus tamen illius maxi-

me

me frequens in preſſionibus ventriculi pectorisque anguſtiis, forma decocti hauſti.

Naſcitur in omni *Sibiria* in *Kamtſchatkam* vsque. Planta *Kamtſchatika* multo humilior eſt, cetera nullam differentiam exhibet.

5. *GERANIVM* pedunculis bifidis, foliis ſubpeltatis, quinquefidis inciſo - ſerratis, caule erecto, petalis emarginatis, LINN. *ſp.* 2. *p.* 954. *n.* 40. cum ſyn. Lob. g. 180. n. 24.

1. Idem flore caeruleo.
2. Idem folio nitente.

In omni *Sibiria* naſcitur.

6. *GERANIVM* pedunculis bifloris, foliis quinquepartito - trifidis, petalis emarginatis, longitudine calycis, arillis villoſis, LINN. *Sp. pl.* 2. *p.* 956. *n.* 49. cum ſyn. — n. 34.

In omni *Sibiria* naſcitur.

7. *GERANIVM* pedunculis bifloris folio longioribus, foliis quinquepartito - multifidis, laciniis acutis, arillis glabris, calycibus ariſtatis, LIN. *ſp.* 2. *p.* 956. *n.* 51. cum ſyn. — n. 33.

In omni *Sibiria* naſcitur.

8. *GERANIVM* pedunculis multifloris, floribus pentandris, foliis pinnatis inciſis obtuſis, LIN. *ſp.* 2. *p* 951 *n.* 26. cum ſyn. Lob. g. 181. n. 9.

In omni *Sibiria* prouenit.

9. *MALVA* caule erecto herbaceo, foliis septemlobatis, acutis, pedunculis petiolisque pilosis, LIN. *sp.* 2. *p.* 969. *n.* 13.

In superiore regione *Irtis* fluuii et ab hinc *Ircutiam* vsque ad lacum *Baicalem* et in *transbaicalensibus* regionibus, vt et ad *Lenam* fluuium abunde prouenit. STELLERVS quidem putat, id fieri e semine sinico adlato, et in hortis sato, vnde in terram incultam transportentur. Sed de hoc certo non constat.

INDEX I.

GENERVM ET SYNONYMORVM

A.

Acetosa. 110-112.
Adoxa. 165.
Agrimonia. 145.
Ajuga. 237.
Alchemilla. 119.
Alchimilla. 38.
Alectorolophus. 213.
Alnus. 107.
Alsine. 13. 102.
Alysson. 249-255.
Alyssum 250. 251.
Amethystea. 248.
Amethystina. 248.
Amygdalus. 171.
Anabasis. 99. 101.
Anagallis aquatica. 223.
Antirrhinum. 196. 197.
Antirrhoides. 198.
Aparine. 168.
Arabis. 264.
Armeniaca. 171. 172.
Aruncus. 192.
Asarum. 16.
Asperula. 166.
Atraphaxis. 28.
Atraphaxis. 61.
Atriplex. 67-72.
Atriplex. 10. 17. 28. 76. 77. 78. 80. 83.
Axyris. 17-24.

B.

Ballote. 241.
Barba caprae. 191. 192.
Bartsia. 201.
Betonica. 239.
Betonica 242.
Bistorta. 40-45.
Blitoides. 23.
Blitum. 16.
Blitum. 18. 82.
Boguldea. 234. 235.
Botrys. 81.
Brassica. 267.
Bunias. 256.
Bursa pastoris. 254.

C.

Callitriche. 13. 14.
Campanula. 148-162.
Campanula. 128.
Camphorata. 116-118.
Camphorata. 18.
Cannabis. 104.
Caprifolium. 129. 132.
Cardamine. 271-273.
Cardiaca. 238.
Caryophyllata. 188.
Cassida. 227. 229.
Cataria. 235.
Cerasus. 171.
Ceratocarpus. 14.
Cervi spina. 106.
Chamaedrys. 188. 221. 235. 248.
Chamaecerasus. 129. 132. 134.
Chamaejasme. 27. 198.
Chamaemespilus. 175.

INDEX. I.

Chamaenerion. 165.
Chamaerubus. 179.
Chamelaea. 26.
Chara. 37.
Chenopodium. 76-83.
Chenopodio-morus. 17.
Chrysosplenium. 29.
Circaea. 225.
Cissampelos. 63. 108.
Clinopodium. 244.
Clinopodium. 245.
Clypeola. 252.
Cochlearia. 256.
Cochlearia. 249.
Comarum. 186.
Conuoluulum. 63.
Coris. 200.
Corispermum. 10. 11.
Corispermum. 13.
Cornus. 163.
Cornus. 106.
Cotoneaster. 175.
Crataegus. 175. 176.
Crista galli. 203.
Cruciata. 166. 169. 170.
Cymbaria. 198.

D.

Daphne. 26.
Digitalis. 193.
Dodartia. 200.
Draba. 253.
Dracocephalum. 203-237.
Dryas. 187. 188.

E.

Empetrum. 16.
Epilobium. 164.
Equisetum. 7. 38.
Erica baccifera. 16.
Eruca. 265.
Eruca. 268.
Erysimum. 259.
Eupatorium. 145.
Euphrasia. 212.
Euphrasia. 213. 214.

F.

Fagopyrum. 57. 63. 64.
Fagotriticum. 64.
Filipendula. 191.
Fontilapatum. 33.
Fontinalis. 33.
Fragaria. 180.
Fragaria. 184. 186.
Frangula. 107.
Frumentum saracenicum. 640.

G.

Galeopsis. 240.
Galeopsis. 236. 241.
Galium. 168.-170.
Geranium. 274-276.
Geum. 188.
Glechoma. 242.
Grossularia. 173.

H.

Halimus. 70.
Hedera. 108.
—— *terrestris.* 242.
Helxine. 55. 63-65.
Hesperis. 258-262.
Hesperis. 269. 271.

Hip-

Hippuris. 7.
Hippuris. 38.
Horminum. 321.
Humulus. 105.
Hydropiper. 51.
Hyssopus. 244.

I.

Isatis. 250.

K.

Kali. 8. 82. 88. 89.

L.

Lamium. 240.
Lamium. 241.
Lapathum. 61. 110. 111. 112. 115.
Leureola. 26.
Lauendula. 242.
Lenticula. 13. 14.
Leonurus. 238.
Lepidium. 254. 255.
Leucojum. 258.
Limnopeuce. 8.
Linaria. 38. 96. 97.
Linnaea. 128.
Linosyris. 38.
Lonicera. 129-135.
Lycopus. 248.
Lysimachia. 164. 227.

M.

Marrubium. 238.
Marrubiastrum. 241.
Melampyrum. 200.
Melissa. 230.
Menispermum. 107.
Mentha. 247. 248.
Menthastrum. 248.
Mercurialis. 32.
Mespilus. 174.
Mespilus. 176.
Millefolium. 35. 37.
Moldauica. 231.
Morus. 179.
Myagrum. 249.
Myriophyllum. 35. 36.

N.

Napus. 267.
Nasturtium. 271.
Nepeta. 239.

O.

Obolaria. 128.
Ocemoides. 231.
Odontites. 213.
Opulus. 146.
Origanum. 244.
Orobanche. 214-217.
Oxalis. 110. 111.
Oxycoccos. 140.

P.

Padus. 173.
Paliurus. 107.
Pedicularis. 203-212.
Pedicularis. 201.
Pentaphylloides. 180-182. 186.
Pentaphyllum. 184. 185.

Pentapteris. 6. 337.
Pentapterophyllum. 37.
Periclymenum. 129. 132. 163.
Persicaria. 46-49. 51. 55.
Pes anserinus. 78.
Pes leoninus. 119.
Pharnaceum. 102.
Phlomis. 241. 242.
Phu. 120.
Phyloma. 198.
Pimpinella. 141. 143.
Pinastella. 7.
Pinguicula. 225.
Polygonum. 40-65.
Polygonum. 7.
Polyspermon. 82.
Portulaca. 70.
Potamogeton. 33-35.
Potamogeton. 46.
Potentilla. 180-185.
Prunella. 239.
Prunella. 236.
Prunus 171.
Pseudo lisymachia. 165.

Q.

Quinquefolium. 184. 186.

R.

Raphanus. 266.
Raphanus rusticanus. 256.
Rapunculus. 161.
Regina prati. 191.
Rhagrostis. 10. 11.
Rhamnoides. 26.
Rhamnus. 106. 107.
Rhinanthus. 202.
Ribes. 273.
Rosa. 276.
Rubia. 166.
Rubia. 170.
Rubeola. 166.
Rubus. 178.
Rumex. 110-115.
Ruyschiana. 236.

S.

Salicornia. 8.
Salsola. 87-101.
Saluia. 226.
Sambucus. 147.
Sanguisorba. 141.
Saxifraga aurea. 29.
Sceptrum carolinum. 206.
Sclaraea. 226.
Scleranthus. 39.
Scrophularia. 193-195.
Scutellaria. 227. 229.
Sedum. 29.
Serpyllifolia. 128.
Serpyllum. 245.
Sibbaldia. 186.
Sisymbrium. 267-270.
Soda. 88.
Sorbus. 178.
Sorbus. 175.
Spica. 242.
Spinacia. 85. 86.
Spina infectoria. 106.
Spiraea. 188-192.
Stachys. 239.
Stellaria. 13. 119.
Stellera. 27.

T.

INDEX. I.

T.

Tamnoides. 108.
Thesium. 38.
Thlaspi. 253.
Thlaspi. 250-252.
Thymelaea. 26.
Thymus. 245-247.
Tormentilla. 180.
Trachelium. 157. 158.
Tragus. 88.
Turritis. 263.
Turritis. 265.

U.

Ulmaria. 192.
Ulmus. 105.
Urtica. 30. 31.

V.

Vaccinium. 136-141.
Valantia. 170.
Valeriana. 120-128.
Valerianella. 123-128.
Valerianelloides. 27.
Veronica. 217-224.
Viburnum. 145.
Viola. matronalis. 260.
Virga sanguinea. 163.
Vitis. idaea 137-139.

INDEX II.

RERVM NOMINVMQVE PLANTARVM,

TAM RVSSICORVM, QVAM ALIARVM GENTIVM

Anſeres feri, magna copia ad oſtium *Lenae* fluuii capiuntur. p. 8.

Atlyk. *Baſchciris* vocatur radix Campanulae *lilifoliae*, quae variis *ſibiriae* incolis, tum cruda, tum cocta gratiſſimam praebet eſcam. p. 149.

Bacca Chamelaeae vid. Daphne.

—— Empetri vid Empetrum.

—— Opuli. vid. Opulus.

—— Vaccinii. vid. Vaccinii ſpecies.

Belinger. *Tatar. Craſnojarens.* eſt radix Campanulae *lilifoliae.* p. 150.

Biſtortae radix, a Ruſſis ad gonorrhoeas et alui fluxus ſiſtendos adhibetur. p. 43. etiam ad ventris tormina mitiganda comeditur; *Tunguſorum* vero quotidianus et gratiſſimus cibus eſt. ibid.

—— —— —— a muribus ruricolis in commeatum hyemalem colligitur. p. 43.

Bogorodskaja Trawa. Ruſſ. Thymus *Serpyllum.* p. 246.

Bruſſniza. Ruſſ. Vaccinii *Vitis idaeae* baccae; et crudae comeduntur et varii generis bellaria ex iis parantur. p. 140.

Campanulae *lilifoliae* radices eſculentae, Napi radicibus ſapidiores et gratiſſimus incolarum *Sibiriae* cibus. p. 149.

Chmiel. Ruſſ. Humulus. p. 105.

Daphnes Chamelaeae baccae pro ſuco inſeruiunt feminis ſibiricis, quo rubentem et tumidulam ſibi conciliant faciem. p. 27.

—— —— radix, equis medicinam praeſtat, inſtar ſetacei applicata. ibid.

Dikoi perez. Ruſſ. (ſylueſtre piper.) Baccae Daphnes.

Dikuſch. *Argonens.* eſt Polygonum. p. 65.

Emüjak *Jacutis* ſanguiſorba audit. 143.

Empetri

INDEX. II.

Empetri baccae, vt vt aquosi et fatui saporis, a ruthenis tamen gentibus pro obsonio non infimae notae habentur. p. 16.
Equis infensam et venenosam esse *Salsolam*, Tatari perhibent. 100.
—— tumore pedum laborantibus, setaceum ex radice Chamelaeae. p. 27.
Fagopyrum *tataricum* inter cerealia bonae notae referri meretur. p. 65.
Fragariae *flore et fructu majoribus*, itemque *fructu albo*, Isetensis prouincia, prae aliis, ferax. p. 180.
Geranii *pratensis* vsus in pressionibus ventriculi et pectoris angustiis. p. 274.
Golubel. } idem quod Pjaniza.
Golubiza }
Gonobobel }
Gorka *fluuius* propter necem equorum famosus. p. 92.
Hingana. *Assan.* Radix Campanulae *lilifoliae.* 150.
Jeschewika. Russ. Rubus. p. 179.
Kadacham. *Kamtschadal.* Cornus herbacea. p. 164.
Kalina. Russ. Opuli baccae. p. 146.
Kanaplia. Russ. Cannabis. p. 104.
Kapusta tatarskaja. Russ. (Brassica tatarica.) Polygonum. p. 56.
Kliukwa. Russ. Vaccinii *Oxycoccos* baccae; a Tungusis crudae comeduntur, acetariis et refrigerantibus potibus inseruiunt, atque ad coctionem albam argenti, tartari instar, bono cum successu adhibentur. p. 141.
Kongrolos. *Tatar.* Phlomis *tuberosa.* 241.
Kopuzetoja pruschtsch. Russ. Geranium *pratense.* p. 274.
Kruschina Russ. Rhamni *Frangulae* baccae. 107.
Kyrtyk. Russ. Polygonum *tataricum.* p. 65.
Lauendula vsus in febre tertiana, gonorrhaea fluxuque albo mulierum. 243.
Lietnak. Russ. Iatis. p. 250. ejusdem vulneraria virtus. ibid.
Lonicera *Xylosteum*, oleum praebet empyreumaticum, quod externe tumoribus frigidis, bono cum successu inungitur; interne contra sanguinis impuritates quascunque, proficuum censetur atque hinc in lue venerea, scorbuto et scabie, pro palmario remedio a Ruthenis habetur. p. 131.
Makarschino korenie. Russ Polygonum *Bistorta.* p. 43.
Malina. Russ. Rubus. p. 178.

Mjaeka

Mjaeka arſchin. *Jacut.* Polygonum. p. 46.
—— —— —— radix ejus contuſa, ſiccata et cum lacte cocta, Jacutis eximium cibum praebet. ibid.
Miſchjak. *Jacut.* Sanguiſorba. p. 143.
—— —— ejusdem radicis vſus in decocto. ibid.
Moroſchka. Ruſſ. Rubi ſpecies. p. 180.
Muſcheskoi perepoloch. Ruſſ. Campanula *Ceruicaria.* 159. nominis ratio ab vſu. ibid.
Nepeta *multifida* Lauendulae generi ſubjungenda eſſe videtur. p. 244.
Oleum ex Lonicerae ligno paratum, quibus vſibus inſeruiat? p. 131.
Opuli baccae plurimis *ſibiriae* incolis gentilibus, edules ſunt. p. 146.
—— —— —— cum vini ſpiritu in clibano clauſoque vaſe digeſtae, illum omni ſapore et odore priuare dicuntur. ibid.
Pedicularis vſus contra luem veneream. p. 212.
Pjaniza. Ruſſ. Vaccinii *vliginoſi* baccae; inebriare creduntur, quae et ratio nominis. 138.
—— —— ſpiritus ex iſtis baccis paratus volatilior eſt ſpiritu frumenti aut vini, ſed vix per annum conſeruari poteſt, quin in vappam tranſeat. ibid.
Piper ſylueſtre quid? p. 27.
Piſchtſchalnik. Ruſſ. Sambucus. p. 148
Podoroſchnik. Ruſſ. (i. e. ad vias proueniens) Polygonum *auiculare.* p. 40.
Polygoni radix, Tſchetſchai morbo, qui anginae ſpecies eſt, medetur. p. 50.
Rjabika Ruſſis variae vocantur plantae, quarum diſpoſitio foliorum, cum foliis ſorbi aliquam habet ſimilitudinem. p. 128.
Saba. *Tatar.* vid. Campanula *lilifolia.* p. 150.
Sabatſchji Jagodi. Ruſſ. (Baccae canum.) ſunt fructus Rhamni *Frangulae.* p. 107.
Salicorniam equos pinguefacere, *Iſetenſium* et *Baſchcicorum* opinio eſt. p. 10.
Salſola a Tataris pro venenoſa et equis infenſa habetur. p. 100.
Sanguiſorbae radicis decoctum, contra diarrhoeam et dyſenteriam. p. 143.

Santal.

INDEX. II.

Santal. Ruſſ. Rhamnus *catharcticus*. p. 106.
Sapja trawa. Ruſſ. Phlomis *tuberoſa*. p. 242.
Semlianiza. Ruſſ. Fragaria. p. 180.
Setaceum ex radice Daphnes pro equis. p. 27.
Schikſcha. *ſibir*. Empetri baccae. p. 16.
Schimoloſt. Ruſſ. Lonicera *Xyloſteum*. p. 131.
Schlamda. *Kamtſchadal*. Spiraea. p. 192.
Sikui *Itaelmän*. Polygonum *Biſtorta*. p. 43.
Soeden. *Tatar*. ſanguiſorbae radix. p. 143.
Stelleriae radix inter ſumme draſtica medicamenta referenda. p. 28. quamuis ſibirici hominis ventriculus dimidiam ejus drachmam aut ſcrupulos duos haud moleſte ferat. ibid.
Swieroboi. Ruſſ. Hyſſopus. *officinalis*. p. 244.
Tolkuſcha. Ruſſ. quid? p. 43.
Tſchagitſch. *Tungus*. Radix Biſtortae. p. 43.
Tſcherniza. Ruſſ. Vaccinii *Myrtilli* baccae; ſunt vel rubrae vel albae. p. 136. atque hae, inter omnes, vim tingendi maximam habent. p. 137.
Tſchernogolovka. Ruſſ. Sanguiſorba. p. 143.
Tſchernogolownik. Ruſſ. Pedicularis. p. 212. Radix ejus in lue venerea vtilis eſſe perhibetur. ibid.
Tſchetſchai. *Aſtrac*. Anginae ſpecie. p. 50.
Urtica. in terris Kamtſchaticis fili materiem praebet. p. 31.
—— in idolatrico cultu Kamtſchadali ea quoque vtuntur, praeferentes tamen vulgari, in vſu quocunque, illum varietatem, quae eſt caule rubente. ibid.
Utinaja trawa. *Quorund*. Phlomis. p. 242.
Uwiſchnaja trawa. *Quorund*. Lauendula. 243.
Vaccinii baccae variis vſibus inſeruiunt p. 138. 141.
—— *Myrtilli* vid. Tſcherniza.
—— *Oxycoccos*. —— Kliukwa.
—— *Vliginoſi*. —— Pjaniza.
—— *Vitis idaeae* -- Bruſniza.
Vodianiza. Ruſſ. Tobolens. Empetrum *procumbens*. p. 16.
Yſakoë. Kamtſchadal. Polygonum Biſtorta. p. 43.

ERRATA.

Pag. 21. lin. 11. loco. II. leg. 11. p. 26. l. 14. *parpureo.* leg. purpureo. p. 31. l. 8. *in cantamentis.* leg. incantamentis. p. 35. l. 5. *alterioribus.* leg. vlterioribus. p. 45. l. 25. *radiculos.* leg. radiculas. p. 53. l. 17. *Polygano.* leg. Polygono. p. 54. l. 2. *exacta.* leg. exacte. ibid. l. 21. *cillatas.* leg. ciliatas. p. 57. l. 6. *aculis.* leg. acutis p. 84. l. 18. *polaceum.* leg. paleaceum. ibid ead. *& rotundum.* leg. & in rotundum. p. 87. l. 8. *circulam.* leg. circulum. ibid. l. 21. *salis.* leg. solis. p. 114. l. 10. *luto.* leg. luteo. p. 122. l. 17. *obseruabit.* leg. observavit. p. 124. l. 26. *pedum.* leg. pedem. p. 130. l. 15. *uirido.* leg. viridi. p. 139. lin 17. *magne.* leg magna. p. 138. l. 10. *expeditae.* leg. expetitae. p. 156 l. 15. *lateum.* leg lacteum. ibid. l. 19. *mariana.* leg. marianae. p. 159. l. 25. *infime.* leg. infima. p. 162. l. penult. *aliquando.* leg. aliquanto. p. 163. l. 21. *peridymenum.* leg. periclymenum. p. 165. l. 20. *Chamaenerio.* l. Chamaenerium. p. 168. l. 14. *octogonis.* leg. octonis. p. 172. l. 7. *campris.* leg. campis. ibid. l. 12. *petula.* leg. petala. p. 181. lin. vlt. adde. Tab. XXXIV. fig. 1. p. 182. l. 20. loco 6. leg. fig. 2. p. 185. lin. 5. adde. Tab. XXXVII. fig. b. ibid. lin. 21. loco Tab. 37. leg. Tab. XXXVIII. p. 190. lin. vlt. T. 401. leg. Tab. XL. p. 195. l. 2. *incuruns.* leg. incuruus. p. 196. l. 1. *flores.* leg. flores. p. 205. l. 22. *solete.* leg. obsolete. p. 214. lin. antepenult. post *florifero.* adde. Tab. XL-VI. f. 1. p. 216. l. 7. *lecto.* leg. tecto. p. 225. l. 7. lecto. leg. lecto. p. 225. l. 7. *pedali.* leg petali. p. 231. l. 5. *Molnavica.* leg Moldavica. p. 237 l. 4. adde. Tab. LIII. p. 254 l 21 loco Tab LVII leg. LVI fig. 1 p. 267 l 13. SILYMBRIVM leg. SISYMBRIVM p. 270. l. 11. post. Tab. . adde. LXIV.

)o(

Fig. 1.
Fig. 2.



Fig. 2.

Fig.1.

Fig.1.

Fig. 2.


Fig. 1. a.
Fig. 1. b.

Fig. 2.




Fig. 1.

Fig. 2.

Fig.1.
Fig.2.

Fig. 1.
Fig. 2.

Fig. 2.
Fig. 1.

Fig. 2.
Fig. 1.

Fig. 2.
A
Fig. 1.

Fig. 1.
Fig. 2.

Fig.1.
Fig.2.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.
Fig. 2.

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig.1.

Fig.2.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 2.



Tom. III. Tab. XXIV.

Tom. III. Tab. XXV.

A
C



Tab. XXXIV.
Fig. 1.
Tab XXXIV.
Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.
Fig. 2.

a
c
c
b
c
d
e
f
A

Tab. XLVII.
Tab. XLVI.
Fig. 1.
Fig. 2.

Tab. XLIX.

Tab. I.

Tab. II.

Tab. LII.

Tab. LIII.



Tab. LVIII.
Tab. LVI.
Fig. 1.
Fig. 2.

Tab. LIX.

Tab. LXIV.

Tab. LXV.

L/7 1606